




ELENCHVS
Motuum nuperorum
in ANGLIA;
Simul ac
Iuris Regii
ET
Parlamentarii
Breuis Enarratio.



Lutetiæ Parisiorum,
Pro *R, R.* An. Dom.
1649.



Liv.Hist.lib.3.

SEd nondum hæc, quæ nunc tenet Seculum, negligentia Deum venerat; nec interpretando sibi quisque Iusiurandum & Leges aptas faciebat, sed suos potiùs mores ad ea accommodabat.

Virgil.

—Rege incolumi mens omnibus una est;
Amisso rupere fidem; constructàque mella
Diripuere ipsæ, & crates solvere fauorum.

Proph.*Hos.cap.*10. *ver.*3,4.

Certè mox dicturi sunt; Non est Rex nobis, quia non

 timuimus

timuimus Iehouam ; Rex igitur quid nobis prodesset? Loquuntur verba dejerando, mendaciter feriendo fœdus: quapropter adducam contra ipsos quasi Capita serpentum maleficorum, Iudicium mendaciorum supra terminos agrorum.


Ier. cap. 12. ver. 1, 2.

Iustus es Iehoua, si contendere tecum velim; veruntamen eloquar: Cur via Improborum succedit? Cur tranquilli sunt qui agunt perfidè? Tu plantas eos, etiam radicantur, pergunt & edunt fructum. Quorum in ore propinquus es, sed longinquus à renibus Ipsorum.

Lectori.



Lectori.



N hoc qualicunque Opusculo, ea prælibaui, quæ Regis, Senatus; Populìque, Iura quasi Imperij fines inter se dirimant; vt Iura factis conferendo, possis Lector *idem* & Arbiter *nostris interesse dissidijs. Dein Motuum Causas, Motus ipsos, Finèmque (si fu-*

turæ

turæ Calamitatis gradum (sic-appellare liceat) atque Regicidium, summos tamen horum apices, & quasi Iliada nostram breui in membrana perstringendo descripsi.

In vtrisque loquor non modò ex Fide, sed & familiari Rerum Consuetudine. Illis attestantur Archiua, Rotulaque Parlamentariæ, & Optima Iurisconsultorum Monumenta. Hæc vt meliùs perspicerem; sæpe in proscenium, & post siparium admissus

admiſſus ſum ; eadèmque quin verè referam, nulla impedit animi ægritudo, vel Horum gratia, vel Illorum odium. Solonianæ Legi obnoxius eſſe malui, quàm Ciuilibus Incendijs frigidam ſuffundere.

Sub huius Tragœdiæ finem, Rerum atrocitate motus concepit flammas animus, & incaluit Calamus; religioſè tamen intra Veritatis metas ſe continuit; & Scelera, Autorèſque Nefarios, mitiori, quàm par eſſet, ſtylo perſtrinxit.

Quod ſi Hiſtoriola

hac Alios, quibus ad justam historiam adornandam plus Otij est, excitauerim, detùrque Exterorum sitim Nostratia cognoscendi tantisper remorari; Censuram & Periculum, quæ vera Scribentes hoc Seculo manent, flocci fecero.

Theodorus

Veridicus.



ELENCHVS

Motuum nuperorum in ANGLIA.

ANGLIÆ Regnum non alia quàm *Regis* Autoritate, ab vltima Annalium memoria, fretum (etsi in plura *Regna*, dicam, an *Castra*, diuisum) non priùs ab intestinis Motibus aut exterorũ incursibus respirare potuit, donec in unius Monarchæ obsequium & clientelam concesserit. Ius Regis apud Anglos. Penès vnum Monarcham.

Ex eo, summa in posterum autoritate, annos vltra mille, perpetua *Regum* serie regnatũ est. is subinde *Populum* incessit vnius *Principis* amor atque observantia, vt eum fore optimum & dignissimum Imperio facilè existimaverit, qui *Regem* annos vltra mille.

proximè ſanguine cõtingeret; nec alio, quàm Natalium meri to & hæreditario Succeſſionis iure placuit rerum ſummam naſcenti, non ambienti, deferre. Demortui ſtatim in ſolium, nõ aliter quàm in cunas, *Regius* quãtumvìs *Infans* tranſfertur. Hac quaſi immortalitate quadam regnandi, iactitãt ferè Leges, *Regem Angliæ nunquam intermori.*

Eùmque hæreditarium.

Et nunquam intermorientem.

Huic quæ inſuper adhibẽtur *Inaugurationis & Stipulationis ſolennia,* oſtentant aliquando, non faciunt *Principem*; aut etiam mutui vtrinque officij admonẽt, & accepto invicẽ fidei pignore animos conciliant; quum neque in longum protelatæ Diadematis Cerimoniæ quicquã de Regia Autoritate, aut Imperatis faciendis derogent.

Hunc Stipulatione ſiue Coronationis ſolennibus oſtentari Populo.

Imò verò *Principi* necdũ inaugurato, tenentur ex veteri

inſtituto

instituto Omnes omnino Subditi *Iuramentum*(quod vocant) *Fidelitatis* præstare; ùtque ad officiũ accederet geminata parendi Religio, alterum postea *Suprematus Sacramentum* Regi dicendum est.

Huic Iuramentum præstare omnes Subditos tum Fidelitatis tum Suprematus

Deprecari mihi hic par est Lectoris fastidium, si, in ipso Historiæ aditu,statim divertar ad *Regis Prærogativas,Parlamẽti Privilegia.Populìq; Libertates* explicandas;Rem (vereor) nostratibus fastidio futuram, verùm Lectori (cui ista scribimus)peregrino,necnon operi, quod modò parturimus, ferè necessariam; nec enim aliter, quæ quibus violata sint Iura, vel servata,constabit.

Regis prerogatiuæ, seu insigni Maiestatis præcipua.

&

Regalia. Iura quæ Regi soli compe-tunt.

Primò, quantam in Vitas & Fortunas *Subditorum Rex* potestatem habeat,(& habet sanè plurimam) ex eo intelliges, quòd *Patrimonia Regi* accepta ferant, seu mediato, sive im-

Vt omnes fundi & possessiones ab eo deriventur. mediato nexu, hoc est, *Fœdali* vel *Fiduciario* Iure prædia omnia & fundos possideant, quotquot possident; *Regis* magis, quam Fortunæ munere locupletati.

Ad eum redeant, Regis proinde ad fiscum refluunt tanquam ad Oceanum suum Opes, quoties defecerit Hæredũ series, aut Possessores à iure suo per *Feloniam, Homicidium, læsamve Maiestatẽ* meritò exciderint.

Pupillorum curam habeat. Penès *Regem* (vt Patriæ Pater iure audiat) *Pupillorũ* & *Idiotarum* cura omnis, vt & *Regis* in peculio eorum Reditus. Imò per avitas Leges, eo incõsulto, hisce non est integrum, sine gravi censura, Matrimonium contrahere.

& Monetæ cudendæ potestatẽ. Vt porrò, quid sit *Cæsari* tribuendũ ex *Nummis* constaret, Monetæ cudendæ, materia, forma, modus, pretium denique, pro Regis arbitrio variatur.

A *Regio*

A'*Regio* Diademate Honorũ omnes radij refulgent, *Tituli* omnes & *Priuilegia* emanãt, *Hominum Collegia* & *Municipia* constituuntur. *Admirallius, Cancellarius, Thesaurarius, Iudices Regni, Vice Comites, Eirenarchæ*, non nisi *Regio* iussu munia capessunt, & *Regis* vnius nomine *Formulas Mãdatorũ* omnes, *Breuia* & *Sententias* emittũt in Vulgus; nec ulli Magistratum priùs ineunt, quàm *Regi* fidem *Iuramenti Religione* obstrinxerint; nè quid detrimenti capiat *Rex*, aut nè uspiam cessarent ipsi in Prouincia gnauiter & fideliter administranda.

Honores, Collegia & offi ia impe. tiat

Quæ admi nistranda sunt eius vnius nomine.

Illud præterquam *Regi*, competit nemini; *Pacis* & *Belli* rationes constituere; *militarem* porrò *Disciplinam* ad placitum & arbitrium suum, non ad Legum formulas erigere; *Militiam* siue *Terrestrẽ* siue *Maritimam*, ordinare; vt cui, in ex-

Bellicis in negotiis.

cubijs vſque agenti Reipublicę tutandæ cauſſa, ſuppeteret; vnde poſſet internas Seditiones opprimere, externos inſultus amoliri. Hoc nomine, penès eũ eſt *Armi-luſtrium* inſtituere, *Munitiones* & *Caſtella*, (quibus maritimis propugnaculis in alta pace nõ minùs quàm Mari circumfunditur Anglia) necnon *Claſſem*, quoties opus eſt, inſtaurare & emittere. Iſtis præficere *Præſides*, *Gubernatorèſque*. Imò *Ius Gladij* ad eandem manum vnicè pertinet, qua ſceptrum eſt vibrandum; adeò vt, arma ſi fortè quis arripiat *Regis* ipſius defẽdẽdi cauſa (*Regis* modò iniuſſu) *læſæ Maieſtatis* reus, ab ipſo officio, evadat; nec impunè ferat, niſi impetrata poſtmodùm *Regis* venia.

In Eccleſiaſticis pariter. Nec in *Eccleſiaſticis* negotijs anguſtiores habet Imperij terminos quàm in *Civilibus*. Ex eo enim, quo, eliminato *Pontifice*

tifice Romano intra *Regni* ambitum Ecclesia recepta est, & Subditis accẽseri cœperũt diu reluctãtes *Clerici*, tum demum *Rex* custos euasit vtriusque Tabulæ, nec minùs *Ecclesiasticis* in rebus quàm Civilibus, *Supremus Dominus*, vt sẽper exstitit, ità denuò agnitus est, Legibùsque constitutus quasi *Regni Pontifex*; in Episcopis promovendis, Dignitatibus conferendis, Ieiunijs indicendis, etiam Cerimonijs Ritibùsque Ecclesiæ præcipiendis (non tamen inconsultis hoc in negotio rerum diuinarum Mystis) sacram iam diu potestatem exercuit.

Tantũ etiam in Leges ipsas (Legibus vtcunque astrictus) imperium, habet, vt nonnunquam ex æquo & bono Legum rigorem soleat temperare, Delictorum gratiam facere; caussísque Iure nullo definitis Ius dicere, & ex se sentẽtiam ferre.

Legem rigorem moderatur.

Et in non definitis statuit.

Poſtremò,(nihil hic temere,ſed ex Iuris-conſultorum fide omnia refero) in vno Rege comperias Vitam,Caput,& Autoritatem rerum omnium quæ in Anglia geruntur.

Conſiliarios ſuos eligit,qui ſint à ſacris.

Qoniam tamen nec *Briarei* cuiuſpiam Centimani,nec *Solis* inſtar , vnico omnia perluſtrãtis oculo,eſſe poterat *Rex Angliæ* , *Conſiliarios* illi adhibere , quos , & quo numero collibuerit, ex *Proceribus*, *Epiſcopis* , *Regni Iudicibus* , & minorum Gentium *Nobilibus* adſcitos,abſque cuiuſquam inuidia,onerum & curarum participes,in vſu fuit.

Pro Tribunali nunquam ſiſtẽdus,q̃ ſolium cõſcendit.

Poſt hæc *Auguſtiſſimi Imperij Inſignia*,iſtud quid eſſe dicam , non Patrium , imò nec humanum inſtitutum, *Regem Iudicio ſiſti*,ſcilicet,ad *Regis Tribunal* ; & gladio plecti , quẽ ipſe ſolus ſtringit;*Regem* (inquam) *quem nè mori quidem poſſe* Lex libẽtiſ-

ſimè

ſimè prædicat . Hac tanta in *Regiam* Perſonam inhumanitate & tyrannide, nihil opus eſt licentiam dominãdi coerceri; verùm quicquid in adminiſtranda rerum ſumma, vel contra Patriæ Leges, vel minùs ex Populi bono geſtum fuerit, id omne *Miniſtris* luendum reijcitur. Neque enim vox iſta ab adulatione Legis, ſed ab æquitate ſumma profecta eſt, *Rex nunquam poteſt errare, aut cuiquam iniuriam facere.* Siquidem in *Adminiſtros* & *Conſiliarios* (quorum eſt admonere *Principem*, vel iniqua imperanti detrectare operam, aut ad poſtremum officio renũciare, potiùs quàm cõtra Leges, quicquam iubenti parere) tùm *Culpa* omnis, tum *Pœna* derivari & ſolet & debet.

Vt quem Lex affirmat, Errare non poſſe, vt cuiquam iniuriam facere. Vt per Miniſtros peccat, ità & plectitur.

Imò ea ſolicitudine ſaluti *Principis* proſpiciũt *Leges* cuius eſt *Leges* ipſas cuſtodire, vt vel

Hæres Regni. Per Antecessoris mortem ipso facto liberatur ab omni pœna & culpa.

Hæres Regni proximus, quocunque, dũ Privatus esset, crimine flagraverit quocunque *Iudicio* vel *Accusatione* implicitus fuerit, p mortẽ tamẽ *Antecessoris* (quasi *expiatione quadam*) ab omni pœna & reatu eximitur, & Solium ascendens, eo ipso Tribunali eripitur. Illi, qui Regni habenas tenet, id unum sufficit in frænum, *Quòd Deum vltorem exspectet.*

Nec tamẽ illi fas est dominari ad arb. triũ.

Neque tamen ex libidine fas est Regẽ in Anglia dominari, subditos expilare, aut sua solius Autoritate Leges condere vel abrogare; sed ex Legum præscripto, vt ipsa absolutæ potestatis Decora administranda sunt, ità & alia non levia

Ad Parlamẽta que Iura spectant.

Regni Iura cum *Populo* habet communia, quo promptiùs Subditorum obsequium conciliaret communicata regnandi Autoritas.

Leges figere & refigere.

Ad Leges quippe *figendas refigendásque*,

figendasque, atque ambiguis fraudum laqueis expediendas *interpretãdo*, ad pecunias extra ordinem(quoties res poſtulat) exigendas, ſpurios præterea natalibus reſtituendos, *exteros* Civium albo *aſcribendos*, Poſſeſſionum iura commutanda & hirciſcunda, *Cultum Diuinum* à *Synodo* priùs ad Dei Verbum conformatum Sanctionibus corroborandum, *Ponderibus* & *Menſuris* modum ſtatuendũ, & iſtiuſmodi, opus eſt (nè quid gravius ferre videretur citra ipſorum conſilium & operam *Populus* (adiunctis *Parlamenti* conſilijs & ſuffragijs, quod ſupremum *Angliæ* forum eſt, & cum *Rege* poſt *Deum*, *Quiddam hoc in Orbe Omnipotens.*

Pecunias exigere.

Cultum Diuinum omnibus imponere Ponderibus & Menſuri proſpicere.

PARLAMENTUM eſt Conventus Regni Ordinum, à Rege conſcriptus, ex Epiſcopis, Paribus, & Plebis Delegatis,

Quid Parlamentũ Angliæ.

gatis, cuius Rex Caput eſt; qui tamen in Senaculis vel Cameris duabus, inferiore ſcilicet & ſuperiore ſedes occupant.

Huius ſuperior cõſeſsus ſiue Senaculum.

Superius Senaculum (quod *Domus Parium* audit) *Epiſcopi*, & *Pares*(*Duces* ſcilicet,*Marchiones*, *Comites* & *Barones*) implent, aſſidentibus vnà Legum *Iudicibus*, àd conſilia, non ad ſuffragia,adſcitis.

Inferior.

Inferius conſtituunt (quod etiam *Domum Communium* Noſtrates appellant) delecti, per ſingulos Regni Comitatus *duo* cuiuſque Comitat⁹ *Equites*, ex Ciuitatibus autem & Municipijs *vnus* vel plures Burgenſes, pro ratione atque vſu loci à commendatioris ſortis hominibus illuc cooptati, & maioribus ſuffragijs cohoneſtati.

Dies Locuſque à Rege deſignantur Conuentui.

Dies Locùſque Comitiorum à Rege indicitur,vt & ab eo prorogatur, in alium transfertur, &

& omnino pro eius arbitrio ab rogatur Confessus.

Dynastis, seu Paribus quidẽ, per *Rescripta* ipsis viritim Regia de manu transmissa; reliquis verò cuiusq; Comitatus sive provinciȩ Vice-Comes, aut Ciuitatis Præses, à Rege ex Cãcellaria sua Rescripto ad id recepto, notum facit, velle Regem intra certum diem Equitum & Burgensium suprà dictorum delectum agi; quem Vice-Comes, vel Præses loco & tẽpore commodissimo fieri curant. Per Rescripta Reg a cõuocantur

Rescriptum Regis ad Dynastas seu Pares, sic sonat: *CAROLVS Dei Gratia*, &c. *Reuerendissimo in Christo Patri*, &c. (sic Episcopos compellat) *Cognato*, (si Pares alloquatur) *Quia de aduisamento Concilij Nostri pro quibusdã arduis & vrgentibus negotijs, Nos, & statum & defensionem Regni Nostri Angliæ* Vetus Rescripti formula ad Dynastas.

&

& Ecclesiæ Anglicanæ concernentibus, quoddam Parlamẽtum Nostrum apud Vestmonast. &c. teneri ordinauimus, & ibidem Vobiscũ, & cũ cæteris Prælatis, Magnatibus, & Proceribus dicti Regni Nostri Angliæ, Colloquiũ habere & tractatum, Vobis in fide & dilectione (si Episcopis mittatur Rescriptum)*per Fidem & Allegiantiam* (si ad Pares) *quibus Nobis tenemini, firmiter iniungendo mandamus, quòd consideratis dictorũ negotiorum arduitate & periculis imminẽtibus, cessãte quacũque excusatione, die & loco dictis, personaliter intersitis, Nobiscum cũ cæteris Prælatis, Magnatibus, & Proceribus, super dictis negotijs tractaturi, Vestrùmque cõsiliũ impensuri & hoc sicut Nos, & Honorem Nostrum, ac Salutem Regni prædicti, & Ecclesiæ sanctæ, Expeditionẽmque dictorũ negotiorum diligitis, nullatenus omittatis* (si ad Episcopos scribat)

bat) *præmonere Decanum & Capitulũ Ecclesiæ Vestræ, totùmque Clerum Vestræ Diœceseos, quòd idẽ Decanus & Archidiaconi in proprijs Personis, ac dictum Capitulum per vnum, idèmque Clerus p duos Procuratores idoneos, plenam & sufficiẽtem potestatem ab ipsis Capitulo & Clero habentes, prædictis die & loco personaliter intersint, ad consentiendum his, quæ tũ ibidẽ de communi consilio Regni Nostri, diuina fauente Clementia, contigerit ordinari.* Teste Me-ipso, &c,

Aliud Rescriptum ad Vicecomites & Præsides Ciuitatũ seu Municipiorum, conceptis hisce verbis ità se habet: *REX Vicecomiti salutem. Quia de aduisamento & assensu Concilij Nostri* (de in progreditur, vt superiùs) *& ibidem cũ Prælatis, Magnatibus, & Proceribus Regni Nostri Colloquium habere & tractatum, Tibi præcipimus firmiter iniungentes,* Ad Communes seu Inferioris Consessus Senatores.

iniungentes, Quòd facta Proclamatione in Comitatu *tuo, post receptionẽ huius Breuis Nostri Parlamenti tenẽdi die & loco prædictis, duos Milites gladijs cinctos, magìs idoneos et discretos Comitatus prædicti, & de qualibet Ciuitate Comitatus illius duos Ciues, de quolibet Burgo duos Burgenses de discretioribus & magìs sufficiẽtibus, liberè & indifferenter per illos, qui Proclamationi huic interfuerint, iuxta formã Statutorum indè editorum & prouisorũ eligi, & nomina eorundem Militum,* Ciuium, *& Burgensium in quibusdam Indẽturis, inter te & illos qui huiusmodi Electioni interfuerint, conficiendis, siue huiusmodi electi præsentes fuerint, siue absentes, inseri; eòsque ad dictum diem & locum venire facies. Ita quòd ijdem Milites plenã & sufficientem potestatẽ pro se & Communitate prædicti Comitatus, ac dicti Ciues & Burgenses pro se &*

Communi-

Communitatibus Ciuitatum & Burgorum prædictorũ diuisim ab ipsis habeant, ad faciendum & consentiendum his, quæ tum ibidem de communi Concilio Regni Nostri (fauente Deo) contigerit ordinari, super negotijs ãtè-dictis, ità nè pro defectu potestatis huius modi, seu propter improuidam Electionem Militum, Ciuium, aut Burgẽsium prædictorum prædicta negotia infecta maneant quouis modo. Nolumus tamen, quòd tu nec aliquis alius Vice-Comes dicti Regni nostri aliqualiter sit electus.

His rite ad Legũ scrupulos peractis, ad Tẽplũ primò, deinde ad Comitiorũ locũ, indicto die, cõuenitur, trabeato ordine & solenni incessu, planè qualis augeret in vulgus sedendi autoritatem. — *Modus conueniẽdi.*

REX eo tempore *Superius Senaculũ* ingressus, aut suis ipsi' verbis auspicatus, aut *Cãcellarij* ex ore, — *Rex exponit causas Conuentus in Superiori Senaculo*

ex ore, exponit Conuẽtus istius graues caussas; ob quas provectiore prudentia viros impẽsè consultos velit, quò rationes (quas habent dubijs in rebus certissimas) in commune conferant; His Ipsum Consilijs interesse, nisi quoties adlibuerit, nulla cogit necessitas in posterũ, nisi in fine Sessionis, vt robur & vim LegũDecretis adijciat.

Senatores Inferioris Cõsessus singuli Iuramentum Regi præstant.

Equites, Ciues & *Burgenses* in Senaculo Inferiori viritim evocantur nominibus suis, à quodam ad eam Prouinciã à Rege delegato: & singuli in Iuramentum Allegiantiæ adiguntur sub his verbis; *Fidem & veram Allegiãtiã Seruabo* Carolo *Dei Gratia Angliæ, &c. Regi, Hęredibus, Successoribùsque suis: cũ & illos defendam ad extremũ virium, & vitæ & fortunarum cũ dispẽdio, contra omnes cõspirationes & conatus aduersùs Personam eius, Coronã & Dignitatẽ.*

Allegiantię.

Nè

Nè verò quiſquam, in excelſum Imperij conſortium evectus, & Auguſtos cum Rege conſeſſus, ſe ſubditum obliviſcatur, quò magis in officio contineatur, aliud adijcitur *Iuramentum Suprematus*, cujus notæ ſunt hæ voces; *Ego A.B. conſcientia mea teſte, profiteor atque denuncio, Maieſtatem Regiã ſolam eſſe ſummam Moderatricẽ huius Regni, aliarùmque Ditionũ ſibi ſubiectarum, nec nõ omnium tam Perſonarum, quàm rerũ tam Eccleſiaſticarum quàm Civilium: adeòque nullum exterũ ſive principem, ſive Pontificem, ſive Statum, ſive Poteſtatem, uel habere in hoc Regno, vel habere oportere, ullã omnino Iuriſdictionem, Poteſtatẽ, Celſitudinem, Præeminentiam, Autoritatẽ, vel Eccleſiaſticam vel Ciuilem. Itaque palàm ac apertè reijcio atque repudio quaſcũq; peregrinas Iuriſdictiones Poteſtates, Celſitudines, Præeminentias* Et ſupre-matus.

nentias & Autoritates, sanctéq; recipio, me Regiæ Maiestati, eiúsque Hæredibus, legitimìsque Successoribus debitam fidem & obseruantiam perpetuò præstiturum, & (quantum in me fuerit) propugnaturum & defēsurū omnes & omnimodas Iurisdictiones, Priuilegia, Præeminētias, & Autoritates quascunque vel concessas vel commendatas Regiæ Maiestati, eiúsq; Hæredibus & Successoribus vel Imperiali huius Regni diademati cōiūctas & annexas, &c. Spōdeo insuper, non credere me, Papam, vel ullam aliam potestatē posse de iure Regem deijcere, vel ab obligatione istius Iuramenti me absoluere.

Oratorē deligunt, quē concomitantur ad Regem rogantes, vt ratā habeat Electionem.

Sic obstrictis ad officium, inter noui Honoris auspicia, animis, *Oratorem* deligunt, quem comitantur ad Regem omnes; cuius vt *ratam habeat electionē petunt*; quod Rex plerunque alacriter indulget. Quo facto, gratias

gratias *Orator* ſuo & totius Do mus inferioris nomine agit, *ſupplicàtq; vt inferiori Conclavi Privilegijs vti, & libertate diſſe rendi bona cum venia liceat*; *ſi quiſquam ſententiam in quacũq; re diſceptanda vehementiùs dixe rit, Regia Maieſtas id ipſum non ægrè ferre, nec propterea ſuccenſere dignetur; vt ad Regiam Maieſtatem pateat acceſſus, vel Con clave Superius, quoties res poſtulaverit*; qua venia data dimittuntur.

Neque li bere loquẽtibus ſuccẽſe..t:

Integrũ eſt vtrique Domui ſiue Senaculo, de rebus è Rege propoſitis, vel de Legibus condendis, abrogandìſve, &c. diſſerere, & ſtatuere, ſcriptis man dare, quod Alteri invicem per nun cios tranſmittendum eſt. Cui ſi habita diſceptatione ſuf fragijs ſuis eidem ſententiæ ac ceſſerit, conſenſus in ſcripti capite notatur, hac inter Proceres formula, *les Seigneurs ont aſſentès*;

Modus diſceptandi & communicandi ſenten tias inter vtrumque Conſeſſu

assentès; inter Communes, ista, *les Communes ont assentés*. Sin verò in diuersum abeant, vterque non rarò Consessus in vnum coit, aut ex his selecti præcipui viri, qui sermones conferant, loco ad conuentum accommodo, quem *Camèram* appellãt *depictam*. Erecti *Communes*, & nudatis istic capitibus, *Proceres* pileis tectos & sedentes excipiunt grandi cultu; atque ibidem vtrorumque exponuntur sententiæ; quas si discrepare contigerit, (sicut accidere interdum solet) in nihilum res abit: si verò in vnum conuenerint, ad *Regem* res defertur; quamsi probauerit & *Ille*, scribit *le Roy le veult*: quo, veluti anima corpori infusa, vitam accipit, atque in efficacem transit legem, mox populo promulgandam. Vbi verò *Rex* oblata sibi comprobare noluerit, scribere in summo

Conueniendi vbi opus fuerit.

Regio cõsensu placita sanciendi, vt fiant leges.

Vel repudiandi.

mo paginæ ſolet, *le Roy s'aviſerà*, interdum in terminis negat, quæ propterea vt penitùs abjecta & abolita reputantur.

. *Rex* verò *Sacras* (quæ *Regias* propiùs exigunt curas) *Rex* haud temere *Comitijs* pmittit, ſed *Synodis* tractandas; niſi forſan vt Senatoria ab Autoritate Legum vim habeant, quam à Diuina veritate ſatìs aſſequi non poſſunt. *Decani*, *Archi-Diaconi*, *Procuratores* pro *Capitulis*, vt & pro quolibet *Archi-Diaconatu*, illi *Præbendariorum*, hi *Miniſtrorum ſuffragijs* delegati, de hiſce diſceptaturi conveniunt in loco deſignato, vbi *Prolocutore* priùs electo, de *Religionis* apicibus, de *Cerimonijs*, aliiſque *Eccleſiam* ſpectantibus, vt & *Subſidijs* Regi erogandis *Cleri* nomine ſtatuunt Quorum tamen *conſulta* non obtruduntur *ſecularibus*, Legũ Autoritate obſeruanda, donec (ut

Eccleſiaſtica Synodo quæ diſceptantur.

(Conflatur illa ex Decanis Archi Diconis & Procuratoribus ſu Delegatis à to to Clero tranſmiſſis.

Horum tamen Conſul.a non obtinent Legum Vim abſque conſenſu Regis & Senatorum.

(ut suprà dictum) *Senaculi* utriusque & Regio assensu comprobata fuerint; Adeò seuerè cautum est à Regibus, nè Ciuiles manus negotijs istis inijcerētur, ut Reginam *Elisabetham* Annales nostri memorent cum Senatu Pluribus expostulâsse, quòd ieiunium, ipsa inconsulta, indixissent, nec in gratiam, nisi impetrata venia, redijsse.

Habet sua *Domus* vtraque (vt ad Autoritatē Senatoriam reuertamur) singularia seorsim *Priuilegia*. Ad *Domum Superiorem* id spectat muneris, non *Consilia* tantùm ferre, *Legibúsque* condendis nauare operam, sed & *Iudicandi potestatem*, adeòque *Iuramenta* exigendi, caussis præsertim in gravioribus, exercere; vtpote in *corruptela Iudicum* & *Magistatuum*, & in *ultimis Prouocationibus*, quę tamē ad examen reuocare, præter fas iùsque esse dicunt *Iurisperiti*,

Priuilegia, seu Iura Domus Superioris.

periti , sine Regio *permissu* & *Diplomate* ; idque more receptum est non fieri, nisi assidentibus Legum Iudicibus.

Domus Communium supplicandi & *rogandi* Iuris Priuilegia, aut etiam Actoris partes, nunquam Iudicis munus sibi vindicauit, nisi intra suos *parietes*, & in *membra propria*; idque nō vltra Incarcerationis aut mulctæ pœnam extendit. Tantum aberat, per auitas consuetudines, à sententia ferenda (nè dicam Capitali) nomine populi, vel in infimū seruulum, vt adigendi in Iuramentum nunquā sibi quicquam Iuris arrogarit. Etiam Statutum in Rotulis exstat, quo *humiliter Domo Communium petente, quādoquidem Iudicium parlamentariū pertinet ad Regē & Dynastas, nō verò ad Cōmunes, nisi ex indulto Regis in eorum gratiam, placeat Regiæ Majestati, nè teneantur* Inferioris.

contra cõsuetudines iudiciũ ferre. Illos Rex ab eo onere subinde liberos esse iubet, atq; iudicandi Parlamentarium potestatem ad Regẽ solum, procerumque Domum in posterum spectaturam, præter id unum, in Statutis condendis, aut Subsidiis erogandis, & censu agẽdo; nisi sicubi Regiæ Maiestati visum fuerit peculiare eorũ consilium vel assensum requirere ad expedienda negotia, Regno in commune profutura.

Imò, siqua dubitatio vel controuersia circa *Electionem membrorũ Domus Inferioris* mota fuisset, non per *Communes* in *propia Camera*, sed per *Proceres* in *Domo Superiore*, vel per *Iudices* in *Cancellaria Regis* determinatum iri mos olim erat. Etiam siquis horum discessisset à *Comitijs*, nõ impetrata prius Regis & vtriusque Senatus venia, sistebatur *Regij Concilij* ad Tribunal; vel *Regia Subsellia*

neglecti

neglecti officij pœnas luiturus, non autem proprij Senaculi ad arbitrium plectebatur. Hoc ampliùs (vt ad Priuilegia redeat oratio) *Domui Communiū* peculiare est, vt de pecunijs irrogandis populo, Ipsa primū disceptet, statuàtque.

Vnde mirabile exstitit *Monarchiæ* nostræ temperamentū, quo *Regi, Senatui, Pòpulòque* in rebus administrandis suæ sint propriæ partes; itá tamen refractæ, & probè castigatæ, vt peculiarem cuiusque opem, nō vtique perniciē sentiat *Respublica*. *Regis* enim *Prærogatiua* omnis, qua summum imperium, qua gladium circumfert, eò respicit, vt satìs adsit Illi virium, quibus Leges vindicet à *Magnatū* factionibus & Populi tumultibus; dum interim *Magnates*, ea, qua pollent, iudicandi Legèsque ferendi præcipua Autoritate, hinc *Regis*,

(siqua exæstuauerit) Tyrannidi, indè *Plebi* tumultuanti obicem ponunt: Nec minùs *Populus*, ex ista quemuis incusandi, pecuniàsque irrogandi, vel negandi facultate, abundè habet vnde *Magnatū* & *Consiliariorū Regis* licentiam coerceat, grassantìque in publicum *Principi* neruos intercidat.

Legum prouidentia, qua liberi & absque metu disceptēt Senatores.

Summa Legum solicitudine cautum est, nè quid per metum, aut insolentias improborum, suffragijs ferendis disceptādi libertati decederet. Siquidem seuerè prohibent, nè quis per aream vel ipsa Comitiorum confinia deambulando gladio accinctus, vel alio quocunque telo armatus, terrorē circumferat, aut loci reuerentiā comminuat. Imò *Membra Parlamenti*, vt & serui horum necessarij, durante Parlamēto, Lictorum comprehensione, aut violentis manibus ob æs alienum,

num,

num, aut leuiora delicta, eximi consuetum fuit. *Homicidij* tamen, *fractæ Pacis*, vel *Feloniæ reos, nullũ liberet ab ordinario Iustitiæ processu Parlamenti Priuilegium*. Imò si per imprudentiam *Magistratus*, aut *Lictorum*, contingat è Cõmunibus, eorùmue famulis comprehẽdi quempiam, non nisi Rescripto (caussa priùs prolata) ex Regis Cancellaria per Leges nostras liberari potest. Sed eadem & limitata.

Tantopere intra Modestiæ cancellos cõtinere sese assueuit olim vtrumque Senaculum, vt siquis inconsideratiùs in receptas consuetudines peccasset, vel proterniùs de Rege locutus esset, non nisi condigna culpæ pœna delictum expiaret, propriorum membrorum pœnas proprio reposcente Senaculo. Modestia Senatus.

Quo honore Senatum prosequi Reges consueuerunt.

Rarò etiam *Reges*, nec nisi graues ob caussas, quicquam

commiſerunt, quod tam Augusto Conſeſſui crearet offenſam. Euenit tamen, vt Optimi *Principes*, nimiùm laceſſiti, vniuersũ *Senatum* reprehenſionibus perſtrinxerint, & Senatorum nonnullos aliquando corã *Regni Iudicibus* ſiſtendos, ad pœnam poſtulauerint; alios quandoque carcere, pecunia, morte, mulctarint.

Data tamen occaſione, in ordinem redigunt.

His moribus antiquis, viríſque ſtetit *Res Anglicana*, & efflôruit p multa retrò ſecula, domi felix, glorioſa foris; donec nimia felicitas, (vt ſunt res Mortalium) luxum & vitiorum illuuiem inuexerit, Faſtum, Ambitionem, Diuinorum Humanorùmque contemptum; vnde Libido magna inceſſeret mutua æmulatione & inuidia aliena rapere; & Regem, Religionem, Leges potiùs proterere, quàm obſeruare.

Felicitas Regni ſub hoc Regimine.

Nuper

Nuper malèſani homines (& perpauci primò illi) qui ſeſe inſinuarunt *Senaculo* Inferiori, rerum nouandarũ cupidi, ſibi inaudita priuilegia arrogare; miſcere ſe negotijs, ſatagere, etiam vbi nihil intereſſet; curis ſeſe implicare, quibus fortaſſe impares eſſent; debacchari inſolentiùs; tandem & inuehere in *Regiam* potentiam; vectigalia maritima (quibus antè Reges continuò gaudebant) in ius & litem vocare; Regi denique vetare ſoluenda; imò gladijs ſtrictis Oratori ſuo vim inferre, vel intra ipſos inferioris Senaculi parietes; avitam modeſtiam, omnèmque Regiæ Maieſtatis reuerentiam, ſacratiſſimas Regni conſuetudines, & Comitiorum Priuilegia conculcantes.

Semina Motuum a Senatoribus quibuſdam in Domo Communium quænam fuerint.

Hinc mutuæ ſimultates, hinc ſuſpiciones, *Regem Parlamenti* Libertatem imminuturum, Co-

Hinc mutuæ ſuſpiciones inter Regem & Parlamentum.

mitia Regiæ Maieſtati derogatura : horum cauſſa *Rex* vni & alteri Parlamento ocyùs quàm multorum expetebant vota, finem imponit, (neque tamen præter Maiorum ſuorum exempla) quorundam petulantiam carcere corrigit,& aliquandiu poſt noua indicere Comitia diſtulit, quò Spiritus iſti deferveſcerent , modeſtiàmque in poſterum,& grauitatem maiorem ad grauiſſima concilia afferrent.

Rex diſſoluit.

Nouum non properat indicere.

At hinc ſpecioſiorẽ captant anſam impigri & verſutiſſimi homines fermentum ſuum per *Angliam* diffundendi. De *Religione actum eſſe*, de *Libertate publica conclamatum*, *Leges in ſummo periculo* verſari paſſim clamitãt;ìdque credulis,& prona aure noua ſtudia & Potentiorũ calumnias auſcultantibus facilè perſuaderi ſperant ; Regiam Maieſtatẽ conuitijs proſcindunt,

Vnde nata occaſio Plebis aduersùs Regem irritandæ

ſcindunt, tanquam Vxorium, imprudentem, Pontificiæ Religioni addictum, auarum, & ſi quod aliud occurrat nomen Vulgo inuiſum; omnia ab eo optimo conſilio perfecta ſugillant, ſuſpicionibus onerant, & in peſſimum ſenſum detorquent; infortunia lapſuſque mirum in modum exaggerant, & vel ipsa aduerſante fortuna iniquiùs exagitant.

Inter tot quæſtus & vociferationes, ſi quæris quid ſolidi infortunij acciderit, ſuo etiamnum in ſtatu (ſi non florentiore) periſtat res Britanica; ſuperba vndique conſurgunt ędificia, publica, priuata, ad ſpectaculum, ad luxum vſque; Mercatura latior indies & quæſtuoſior iã promouerat patriæ fines in vtramque Indiam; hoc vno infelix, quòd cum opibus importauerit peregrina longè vitia. Vigent inſuper Artes, in- Regni cõdit o nihilominùs florentiſſima.

Academijs, in Foris, in Officinis, nuſquam ſplendidiore cultu; diteſcunt incolæ, nunquam ſuperbiores. Iuſtitia ex præſcripto Legum adminiſtratur; nec re aut vita ſpoliatur quiſquam, niſi ex iudicio legitimo eorũ, quibus hæc debent eſſe chariſſima, duodecim virorum contribulium Regni omnia ità adminiſtrata, vt in bonum publicũ conſpiraſſe viderentur; niſi quòd iſtam ex nimia hac felicitate natam inſolentiam reprimere nõ poſſent; niſi etiam (quod vtique non eſt diſſimulandum) infeliciter foris, nobis diu inexpertis, alea Belli cecidiſſet, & domi Impoſitionibus quibuſdam (licèt moderatis admodum, & quas publica neceſſitas, aut Legum non vanus obtentus cohoneſtarat) Proprietatem Subditorum labefactatam quereretur Plebs irritata. Et ſeueriores (ſaltem

Bellum, tamen foris infeliciter geritur. Dom que Vectigalia imponuntur.

pro

pro temporis illius Halcyonijs diebus) incarcerationes, auriùmq; mutilationis pœnæ quas paucis (quatuor ſcilicet, vel quinque) ſeditioſis Cameræ Stellatæ Iudices irrogarunt; atque Curiarum Eccleſiaſticarum exundans iuriſdictio & cẽſura multorum commiſeratione & iras commoueret. Indignantium etiam hunc chorum auxerunt *Scrupuloſi* quidam, qui Cerimonias inter Cultus diuini ritus nuper inuectas Papiſmi ſubſecuturi prodromas eſſe ſuſpicarentur. His etiam acceſſit importunus Archiepiſcopi Zelus introducendi in Eccleſiam *Scoticanam* Liturgiæ *Anglicanæ* Librum & Praxin; ſcopo quidem laudabili (ſic ſua ſibi blandiebatur opinio, vt tres finitimæ Nationes, vnius Regis ſub Imperio, vno pariter cõformi Dei cultu coniungerentur; euentu tamen peſſimo:

Cerimoniæ nouæ Scrupuloſos augent.

Archi-Epiſcopus Anglicanam Liturgiam Scotis impoſuit.

pessimo: hinc siquidem subitæ Tragœdiæ & Tumultus, dein Bellum & Inuasio; faciente animos Religionis praua opinione, & versipellibus quibusdam Anglis (qui rebus miscendis excubarunt) clanculum stimulantibus.

Eos irritat.

Rex, vt Scotorum tumultus, citra nouum tumultum, reprimeret, *Parlamentum* indicit; sed cùm huic quoque tumultuandi ardor irrepserat, Comitia dissoluit. Pòstpaullò tamen consilij illius pœnitens alterum cogit Senatum; seriò sese placādis omnium animis accommodat; & quasi satiandis vel auidissimorū cupiditatibus studeret, plus Ille breui vnius Parlaméti spatio concedit in vtilitatem Reipublicæ (vtinam non & in libidinem Inimicorum) quàm longis & frequentibus Comitijs (in quibus liberalitate mutua olim so-

Rex ad hosce reprimendos Parlamentum indicit.

In quo Subditis indulget plùs quàm omnes Antecessores.

lebant

lebant Principes cum Subditis contẽdere) Aui Ipſius & Maiores omnes.

Inter alia, vnum iſtud iactam⁹ modò, modò querimur Beneficium, vt omni Superiorum benificio maius, ità omni Poſteriorum temporũ grauamine triſtius. Conceſſo priùs triennali Parlamento, ex Cancellaria præſtitutis tẽporibus ſine iuſſu Regio (modò Ipſe omiſerit) indicendo; mox rogantibus ipſis (*quò ære alieno oneratam fidem publicã liberandi ſpatium haberent, & indulta à Rege Priuilegia rata ad poſteros tranſmitterent*) *eam retulit fiduciam, vt Comitiorum præſentium diſſolutionem penès arbitrium vtriuſq; Senaculi reliquerit*, quaſi intermiſſa diu Comitia penſaturus vnius diuturnitate; Quod, vtvt interpretantur alij, Candoris erat erga Subditos ſummi argumentum, aut ſaltem

ſaltem animi vim & Arma minimè meditantis indicium. Vafri tamen hi homines, qui iam rerum potiti ſunt, & tum temporis Patriotarum larua inſigniebantur, tot ſcrupulos & ſuſpiciones inijciunt incautioribus, & minùs prudentibus, (quod factu facile eſt per popularia Conſilia, vbi ſuccenturiantur præcentoribus alij, & nodos in ſcirpis quærunt, non quòd eorum animis malitiæ quicquam inſideat, ſed nè cæteris minùs oculati, vel magìs Reipublicæ deeſſe videantur) vt inſtar Hydræ capitum conſurgerent ſimultates, & diffidia plura ex fauore Regio & placandi ſtudio, Conceſſiones. Illius potiùs ſitim illorum accenderēt, & animum expoſcendi, quàm explerent; adeò vt iam parùm fugeret oculatiores, nō tàm Parlamētarijs Priuilegijs aſſerendis, non tam Reipub-

Sed eò magis appetitum audaciamque Nouatorum acuit.

licæ

licæ paci & vtilitati procurandis inuigilasse bonos hosce viros, quàm Regiæ Maiestati deturbandæ insidiatos esse; sibique ipsis ad summum Potentię fastigium iam gradus præstruere. Quod cùm Regi, Rerùmque publicarũ consultioribus subolere intelligerent, nec in Senatu per suffragia liberis decernẽda calculis, obtinere suas rationes, aut Regium assẽsum exspectandum viderẽt, ad vim se conuertunt; Plebem per Emissarios irritant, vt, agmine facto, armis instructa ad Parlamentum, supplicum tamen specie, quædã petendi gratia, accederet.

Qu bus, alijs prętexsibus, tunc erat in animo deturbare Regẽ; & sibi ipsis Imperium arripere. Quod cùm innotesceret, Plebẽ irritant per Emissar os, & specie supplicandi vim inferunt alijs Senatoribus.

Nec minùs illa promptè obsequitur, minas intentat, violentas manus ingressuris Senatum compluribus Nobilium, aliìsque inijcit. Dissẽtientium à Nouatorum sententijs (quos *Benè animatos* vocitabant, mutuòque

tuòque colunt & coluntur) nomina exposcit, vt viuos discerperet, aliorum nomina postibus affigit; imò insolentiùs in Regem ipsum (domi suæ turba hæc se contineret iubētem) debacchatur.

Regique ipsi

His quidē perterriti à Senatu prorsus abstinent; & posteæ, eo nomine, à potentiori factione exautorantur; alij etiam cùm intersunt, liberè in suffragia descendere, & publicæ rei consulere, de proprio capite soliciti, non audent: adeò vt ex eo tempore Senatus omnis Autoritas exolescere visa est, postquam ius suffragandi in Comitijs ima sibi Plebecula vendicauerit.

Vnde deterriti Senatorum complures a Consessu abstinēt.

Constabat iam ista ad seditionem tendere; nec minùs liquidò plurium in vtraque Domo sedes occupantiū nō solo assēsu nutùque, sed etiam astu & machinatione cōcitatas esse

turbas

turbas. Rex verò(quo obuiàm iret,& maturè compesceret in herba)quinque è Plebeijs,vnũque è Proceribus læsæ Maiestatis postulat, sisti iubet iudicio, rèmque omnem secundùm Leges Angliæ coram Regni Iudicibus contestata lite decerni.

Rex occurrit initij sturbarum.

Seditionis duces perduellionis postulando.

Istis(factione iam latiùs serpente, pluribus etiam probisque viris, nè minium decederet à Priuilegijs, religiosiùs solicitis)patrocinatur inferius Senaculum;nec Regem audit, Petitoris & Actoris ad partes se demittẽtem,sed accusat potiùs; priuilegijs vim afferri Senatorijs clamitat, nec sinit Senatorum quenquam ad Tribunal trahi, aut accusationibus à Reipublicæ curis auocari, & reorum sordibus Iudices Arbitròsque Regni dehonestari. Quo Rex commotior factus, suasu Consiliariorum,etiam & quorundam

Hinc Rex in persona.

Propria Se aculum ingreditur.

quorundam ex ipso Parlamento, centum plùs minùs Nobilibus, Generosis, eorùmque famulis circumstipatus, ad Aulam properat *Vestmonasteriensem*; mandat; nè quis alius vel ausit gradus conscendere, vel quenquam, etiam lacessitus, contumelijs afficere. Solus cũ Palatino Rheni Domum Inferiorem intrans, postulat, vt ipsi tradantur Incendiarij in manus, pollicetùrque se iuxta notas Leges cum illis actũrũ. Hi verò præmoniti(vt ferebatur) *Marchionis Hamiltoni* & *Nobilis fœminæ*, (quæ formæ priùs, nunc Ingenij dotes, alterius ætatis munera apud Senatores gestijt ostẽtare)opera se subtraxerant; Quocirca, vt *Rex* subterfugientibus accusatis, citra cuiusquam iniuriam aut noxam reuersus, litẽ placidè remisit, etiàmque(quo demulceret exacerbatos homi

Vt eosdem postulet,

De stitit verò inio & culpam quodam modo agnouit.

num

num animos)aliquoties retra-ctauit, & quasi culpam deprecatus est.

Sed & hinc Plebem exagitant aduersùs Regem.

Hinc tamē ansā arripientes Illi, qui continuò inuigilabant omnibus occasionibus faces ad mouendi, mentèsque hominū inflammandi, mirum in modum Regem, ob tam insolens ausum, exagitant, & in furias agunt imprudentum animos, exertásque discordiarum scintillas latè circumferunt ad excitādam totius Regni flammam.

Accusati delitescunt in Ciuitate Londinensi; Redeantque breui ad Comitia, exercitu circumstipati.

Accusati delitescunt in Ciuitate *Londinensi*, mensis integri spatio, donec magna pars Ciuitatis concitari potuerit, armìsque instructa acie, in satellitium & custodiā comitari prodeuntes ad Comitia reos. Quo audito, *Rex* eo manè saluti & Maiestati suæ (qua sola potuit ratione) fuga consulturus, cum *Regina* secedit ad

Castellum

Subducit se Rex

Castellum Vindsoram;& posteà latiùs serpentibus iurgijs & periculis, amandata in partes transmarinas *Regina*, *acersito Principe* (quē Nouatores Parlamenti nomine intercepturos subaudierat) Eboracū se recepit. Missis tamen priùs ad Senatū literis, *Rex* omnes Pacis rationes ineundas suadet, *vt quicquid id esset, q tantopere ab ipso cuperent concessū aut factū, scriptis explicarent; Quid Senatus, quid Populus sibi vendicarent, quid vicissim Regi tribuendū, absque ambagibus definirēt; recipitque sanctissimè, aliena Se non magis Iura imminuta velle, quàm Propria Sua; quin & libētissimè assensum operàmque Se præstiturum omnibus, quæ Reipublicæ Iura sua, & Pacem in integrum restituant.*

Mittit ad Senatum Literas Pacificatorias.

Hanc tamen clementissimi Regis æquitatem non aspernantur modò, sed tanquam

Priuilegijs

Quibus Priuile-gia Parlamentaria minui quiritantur.

priuilegijs Senatorijs contrariam conuitijs excipit Domus Inferior, iam ſcilicet Nouatorum arbitrio mancipata,& potentia Plebis intumeſcens. Dici non poteſt,quantum iſtis ad Pacem monitis,tanquam ad noua pericula,& anguem in herbā latitantem, ſpecie ſaltem conterriti expalluerint, sèque in ſummo Capitis diſcrimine verſari clamitauerīt; nec ſine maxima neceſſitate, Militiæ toti⁹ Regni ordinandæ poteſtatem à Rege(in id vnum, ſic præ ſe ferebant,vt ſecuri de rebus à Rege propoſitis conſilium inirent)ſibi tradi petierint; eam ipſo renuente, occupant. Hæc fundi noſtri calamitas, hæc tuba rixæ fuit, dū Rex Ius auitum tueri, Illi rapere nituntur inuicem,Bellum oritur.

A Rege petunt Militiæ poteſtatem.

quam, cùm Ipſe ſtrenuè negaret, arripiunt

Per Apologias diu velitatū eſt;at cùm Rex calamo ſuperior,

Per Apologias primò

Res agitur, in quibus cùm Rex esset superior, ad ferrum descenditur.

Factiosorum opportunitas ad bellum inferendum.

Prætextus etiam.

rior, plurium opinione palmam præriperet, ad ferrum descenditur. Factiosis promptum erat ad Bellum se parare, *Londio* potitis, vnde tot hominum examina, rerum nouarum abundè cupida, effundi possent ad conflandos & reparandos exercitus; vbi tot arma, tam grandis commeatùs opportunitas, & tanta vis pecuniæ, tot millia tormentorum præstò essent, qui etiam tot speciosas caussas (ob quas vel mori pulcrum esset. Declarationibus euulgant tot honestas tesseras vexillis inscribunt, quibus hominũ animos vehementiùs quàm tubis tympanisque accendunt. *Ad Regiam quippe Personam tutandã, eripiendàmque è malè feriatorum manibus, ad Parlamenti Priuilegia propugnanda, ad Religionem sartam tectam conseruandam, ad Leges, auitùmque Angliæ regimen protegendum,*

protegendum, imò ad aras & focos defendendos, arma se capessere protestantur, & in subsidiū omnes inuitant.

Quibus inescati *Concionatores* (aut etiam nonnihil titillante, sese dissentientis Cleri Sacerdotia,& opimos Episcoporū Decanorùmque reditus, ceu iustam hæreditatē possessuros)qui *Presbyteriani* regiminis in Ecclesia desiderio tenebantur, è suggesto classicum canunt, vnde Pacis Euangelium promulgare debuerant. Quibus inescantur Conc·onatores Presbyteriani.

Populus insuper alia spe aurei futuri seculi, Regnìque temporalis Messiæ,œstro quasi percitus, vndique concurrit, immensam vim signati æris, & argenteæ supellectilis, abiecta rei familiaris cura, summa contentione conferunt; imò mulieres annulos aureos, & pignora connubij, inaudito prorsus exemplo, in ærarium immittunt; & Populus.

Quorum opera exercitum conscribunt.

immittunt; Viri sese in militiam, quasi sacram, certatim offerunt; vnde breui coaluit exercit⁹ ad viginti circiter hominum millia antequã Rex in sui defensionem quingentos conscriberet; & *Illi* plura possedere tormenta, quàm *Hic* sclopetos. Eadem opera & facilitate Classem occupant. Militiæ terrestri *Comitem Essexiæ* præficiunt, Maritimæ *Varuicensem*.

Classem occupant

Ad Exercitus stipendia (nè dicam in priuata commoda) præter profusas populi largitiones, Bona diripiunt Nobilium & Generosorum, quos Regijs partibus studere compererant; in eorum omnium, Episcoporum, Principis, Reginæ, Regìsque ipsius reditus, *Sequestri* nomine, manus injiciunt, vt vix vnde victum coemeret sibi relictum Regia Maiestas verè conquereretur.

Diripiũt. Bona, & reditus aliorum inuadũt.

Nec

Nec iam quicquam illi reliquum videbatur, nisi signa moue re, *Regìque* manus inijcere; quod *mẽsis futurũ spatio promittere non dubitarũt* Aliter verò Deo placuit. Nec enim adeò latere potuit dolus, quin in Regias partes transiret longè maximus *Nobiliũ* & *Dynastarũ* numerus è *Senaculo superiori*, ęqualis penè *Dom⁹, Inferioris* sed qui cæteros tũ latifundiorum auita amplitudine, tum natalium splendore longè antecellerent. Etiam inter illos qui se *Londino* non subduxere, complures Regiæ caussę clam fauebant: imò multi Generosi & Plebeij ꝑ omnes Regni Prouincias.

Regijs partibus quifauerent.

Horum ope, & Autoritate propria, (qua, solis instar, in Eclipsi, spectatorũ turbã attraxerat) & nonnulla hominũ commiserati one (quos miserè puduit Regni caput intueri in eam sortẽ deiectũ, vt ab Imperij sede *Eboracum* profugiens, ab *Eboraco Notingha*

miam, à *Nottinghamia Salopiã* & *Valliæ* fines,quatuor plùs mensibus vagus & extorris,Subditorũ fidem & suppetias diu frustrà implora ret)Rex tandemaliquando exercitum aliqualem collegit, posteàq; maiores copias promptiùs confluente ad Regis suppetias populo,qua parte stare Rẽpublicam crediderunt:Regina etiam pecunias & armamenta (quę gemmis aliquot oppignoratis conquisiuerat) subministrante;ob quod debitum marito officium Perduellionis à factiosis postulatur.

Rex conscribit Exercitũ.

Digressio in res Hibernicas.

Dum istę Domi nubes cœlum obducunt,dira tẽpestas foris intonat in *Anglorum* capita; quã (quoniam in res nostras haud parùm affert momenti) nè prætermittam penitùs incognitam, in *Hiberniam* breui transfretandus mecum Lector est.

Hiberni quippe, quibus *Anglorum* graue semper jugũ incubuerat,

rat, insitúsque à Natalibus, & au
ctus ex ęmulatione, Pōtificię Re
ligionis ardor inerat, diu isti ex-
cutiendo, huic asserendę (vt se fe
rebat occasio) inuigilantes, iam
pridē versatum animis facinus
aggrediūtur. Ecce subita vniue-
rsę gētis, (quòdque mirū magìs
adhuc clandestina) cōspirati-
one, factā in *Anglos* p *Hiberniā*
sparsos, nihìlque tale opinantes
irrunt, re familiari fundìsque ex-
uunt; centum & quinquaginta
millia plùs minùs fœdè (nulla se-
xus, ętatis, hospitij, vel affinita-
tis habita ratione) supstitioni di
ræ, ceu tot humanas hostias, ma
ctant. Parùm aberat (ni *Dubliniæ*,
quę Metropolis, est, cōiuratione
detecta, alijsq; in locis pauci cau
tiores arreptis armis obstitissēt)
quin eodem impetu nomen *An
glorum* per *Hiberniam* exstinctū
esset.

Rebellio Hiberni-ca:

&

Immanitas.

Animos fecerāt *Proceribus* & *Sacrificulis Hibernis* (q primas in

Qu'nam eius Autores, & quibus opportu-niuatib' usi.

hac Tragœdia concitanda ſuſtinuerunt) in hoc facinus, nuperi *Scotorũ* ſucceſſus; *qui* (verbis vtor Viri *Primarij*, qui, initio *Parlamenti* noſtri, à ſacris Regi Cõſilijs fuit in *Hiberania*, poſtea vero ſecut⁹ eſt partes *Parlamẽtarias*, & in Senatorum ordinẽ cooptatus) *rebus ſuis bene feliciterq; geſtis immunitates à* Rege *inſignes ꝑ noviſſimos motus impetrarũt.* Adhęc Turbæ domeſticæ libertatẽ illic inſurgendi videbantur permittere, quibus iamiam *Anglos* implicatum iri, rerum Ciuilium prudẽtia vel leuiter imbutis ominari facilè fuit, vt ab illis minùs metuendũ foret in vindicias Inquilinorũ in *Hiberniam* transfretaturis. Auxerat quoque audaciã abſẽtia, & nupera mors *Pro Regis Hiberniæ* (Viri prudentiſſimi, motibus, primìſq; Rebellionis ſeminib⁹ opprimẽdis paratiſſimi) quem *Hiberniæ Proceres*, dũ Rebellionẽ animis agitarent, ęquè

ac

ac Zelotæ *Parlametarÿ* hic infe ctati sunt,& nescio quæ praua consilia & acerbiora gestaobijci entes, ad necem vsque Lege ex pòst facto lata, nullique in posterum absque consensu Senatùs intentanda(quam tamen *Regem* sancire, per minas, & clamores Populi coegit potentior Comitiorum factio; quam & ipse petiit, saltem permisit *Pro Rex*) persecuti sunt. Sic denique frem̃etib'& irritatis uires attulit, Exercitùs *Hibernorum*, ad octo millia virorum conscripti in *Scoticam* Expeditionem, importuna dissolutio. Quorum quatuor millia, Rex Pace cũ *Scotis* facta, (nè nouis rebus in *Hibernia* studerent) *Hispaniarum* Legato *DON ALONSO* de *Cardenas* transportandos permisit: Quos quidẽ *Ille* (irrita prima Concessione) in ampliorem numerum multis millibus adauxit; *Tribunis* & *Chiliarchis* Parlamenti

DON ALONSO Clariss. Hispaniarũ Legato Copiæ cõceduntur.

Iussu exauctoratis, & , in gratiã stipendiorum ipsis debitorum , permissis, vt vnusquisque, ex animi sui sententia, ad quas velint terras cum suis Legionibus emigrarent.

Quapropter Pactum est inter *Legatum* prædictum, & illos *Chiliarchas*, quib⁹ cōducendis, & quotidie alendis, postquam 30000 libras impendisset, (vt ipse *Legatus* cōquerebatur, & plurimis innotescit) & conductitias Naues ad eos milites trãsuehẽdos à Portu iamiã soluturos, apparasset ; ecce illæ omnes quę *Legat⁹* tãta pecuniarũ largitione & indefesso studiorum tædio procurauerat, inopinatò à Parlamento in *Dunis* subdolè detinentur , ea ratione (vt credebatur) *Hispano* irritato, Regẽ *Anglię* vt exosum redderẽt, vnde Rex (cùm sic res postularet) *Hispanorum* suppetijs prorsus destitueretur.

Quibus alendis 30000 libras impendit Legatus.

Naues, quas militibus transportandis conduxerat, detinentur.

Hisce (inquam) tantis in turbido

bido piſcandi opportunitatibus deliniti cũ *Sacrificulis Proceres*, quò *Inquilinis noſtratibus* vires attenuarent, animòſque labefactarent, Populares verò ſuos in cædes & rapinas incẽderẽt, modis omnibus ſatagunt. Inter noſtrates iactitant, Reginam ſuis inter eſſe Copijs, Regem cũ exercitu adventurum, *Scotos* ſecum pepigiſſe fœdus, cui vt fidẽ facerent, in ipſa *Anglorum* cæde, prorſus temperant à laceſſendis *Scotis*; *ſe Regio Diplomate inſtructos* (oſtentantes fictitium Diploma apud *Farnã Abbatiã*, multis eò concurrentibus *Sacerdotibus* & *Proceribus*, à quodã *Plũzetto*, vt multorum cõfeſſionibus poſtea conſtitit) *Regiam cauſſã aduersùs Puritanos ſuſtinere*. Inter ſuos literas vẽditãnt, quibus aiunt ſe ex *Anglia* edoctos *Sanctionem nuperrimè latam, qua Hiberni omnes Proteſtantium Sacris intereſſe cogerentur; primàmque abſentiam*

Quibus artibus in conſortium facinoris exſtimulant Inquilinos.

Bonorum, secundam Hæreditatem tertiam Vitæ dispendio luerent. Spem *Libertatis* faciunt, & Auitarum Consuetudinum, *Anglorum* iugum excutiendum, Regem è propria Gente eligendum; *Anglorum* omnium Bona & Possessiones inter eos distribuenda.

Hac prædæ, & instituendæ in posterum ex votis vitæ spe ad commilitium allecti, in furias aguntur *Hiberni*, & tanta patrãt facinora, quanta vix ullũ retrò seculum audiuit.

Anglorum, zelus in vindicias atque defensionẽ suorum Inquilinorum.

Quibus in *Anglia* peruulgatis, mirum quanta cæsos perfidè Inquilinos vindicandi cupido, quantus Superstites defendendi zelus incesserit. Certatim breui spatio in Militum stipendia & commeatus procurandos, pecuniæ ad trecenta millia librarum sterlinarum cumulantur, multa *Anglorum* millia sese in militiã accingunt.

Cęterùm

Cæterùm Genti noſtræ tantum impendebat Infortunium, vel Ira potiùs Diuina, vt vel ex hoc ipſo propriæ gliſcerẽt ſimultates; quod alijs, inter ſe quantumlibet infenſiſſimis, pacem tantiſper conciliare ſolet. Hinc qui rebus nouandis incumbebant, neſcio quibus ſcrupulis & ſuſpicionibus homines (abundè per ſe pronos, & in peiora credulos) acriter pungentes, obtinent apud Comitia, nè Regijs auſpicijs Bellum geratur, nèue quis Militum Regi addictior, aut qui in *Scotica* Expeditione meruerat, huic ſe militiæ immiſcere permittatur. Obtrudunt in Belli adminiſtrandi Prouinciam homines factioſos, & *Regi* parùm gratos. Illinc Rex propria perſona Exercitum contra Rebelles ducere conſtituit; ùtque iure Belli gerendi, per Leges & Regni conſuetudines ſibi conce-

Eluditur domeſticis inter Regem & Parlamẽtum ſimultatibus, reciprocíſque Accuſationibus.

Quæ deferuescũt tandem, Rege de iure suo cedente.

dito utatur, instat. Tandem verò, cedendi saltem humanitate, si minùs imperandi viribus, æmulos superare cupiens, annuit *Rex*, vt sui ipsius & Comitiorum simul Autoritate geratur Bellum, & Diplomata, vt & Commissiones nominibus *Regis* & *Parlamenti* consignentur, attributa exercitum conscribendi, armandi, ducendi, ductorùmque deligẽdorum Comitijs facultate, *Regi* nulla pacis cum Rebellibus ineundæ, vel veniæ elargiendæ copia, sine Comitiorum consensu, relicta.

Recrudescunt iterum.

Sed nec ità resederunt Cōtẽtionum fluctus: haud diu enim pòst, scintillis Belli ciuilis in flãmas p *Angliã* erumpentibus, Comitia cẽtum millia librarũ, nomine Belli *Hibernici* erogata inuadunt, & duas trèsue Legiones, Rebellibus illic reprimendis conscriptas, in Re-

gem

gem hic opprimendum conuertunt. Quinetiam emendicatas in Euangelicorum pereuntium subsidia Eleemosynas, in militum suorum stipendia transferre non dubitant.

Ex aduerso, Regij milites commeatum diripiunt, à *Comitijs* versùs *Cestriam* transmissum; quem statim ac *Hiberniæ* destinatum illi vociferarentur, *Rex* curat in eius Regni vsus restituendum. Comitia, (quò Regis infamia suam existimationem augerent) leuiculis in medium adductis suspicionibus, Rebellionem *Hibernicam* contra Regem excitatam, Regi, ceu Autori, referre non erubescunt. Verùm (quod res erat) in factiosos Senatores, maioribus rationum momentis suffulta, crimen & infamiam *Regia Maiestas* retorquet.

Ista tamē haud obstitere, quò minùs nostri Auxiliares *Hibernos* Nostrates fundunt Hibernos.

nos vndique in fugam verterent, funderéntque, incendijs, direptionibus, & cædibus centena aliquot millia Indigenarum ad inferos mitterent, *Anglorum* manibus parentaturos. Sed longè latèque solitudinem simul inferunt, quæ non minùs sibimetipsis, quàm Indigenis damnosa tandem exstitit. Incrudescentibus enim per *Angliam* Bellis, annona, commeatu, vestitu, stipendijs, necessarijs omnibus militi deficientibus, militèque tandem istis deficiente, vix verbis assequi fas est, quantum miseriarum Nostrates in *Hibernia* perpessi sint; quibus diu colluctati (sæpiùs ad rauim vsque, sed frustrà inuocata Comitiorum opera) *Regi* literas scribunt, *qui* sunt à *sacris* Regni illius *consilijs*, *militum ductores*, ipsìque milites; quibus instanter missionem petunt, & in alia castra

Tantámque Regno solitudinem inferunt, vt ipsi, deficientibus supplementis, multis paterētur miserias.

Vt reuocētur, postulant.

auocari;

auocari; vbi cum quolibet hoste præterquam fame, pugnandi locus esset.

Rex tandem (*Scotis* auxiliares copias in *Parlamenti* castra ducentibus) in imparem pugnæ conditionem cum Parlamentarijs *Anglis* redactus, hinc necessitate propria, indè importunis Subditorum precibus, coactus, iubet *Inducias in annum cum Hibernis pacisci*, vt interea temporis Pax, æquis modo conditionibus fieri id posset, coalesceret.

Vnde inducias Rex paciscitur cum Hibernis.

Pactis Inducijs, copijsque quæ præsidijs tutandis sufficerent, post se relictis, redeunt milites ex *Hibernia* in Regis (cuius domi contra *Parlamentarios* fortuna manifestè nutabat) auxilium. *Scoti* tamen, qui maximam *Vltoniæ* partē occupabant, inducijs obstringi recusant, vt & pauci *Angli* in *Connactia* & *Vltonia*, quibus

Milites multi ad Regis defensionē accersuntur, Scotorum in partes Parlamētarias accessu, iā periclitantis.

cum *Scotis* intercesserat consuetudo.

Paullò pòst *Baro Inchequin* qui copijs prefuit *Mononiensibus* perductis millibus nonnullis in Regis suppetias, cùm non satìs pro dignitate & merito acci pi videretur, clàm se in *Hiberniam* subtrahens, *Coragium* primò, postea totam *Mononiæ* Prouinciam, quanta à partibus *Anglorum* steterat, in partes *Comitiorum* trahit, & detestationem Induciarum, ipsis statim in eius & *Scotorum* auxilium, copias, pecunias, & commeatum submittentibus.

Induciæ, quorum opera violantur,

Ex altera etiam parte *Hibernis* sub imperio legati *Pontificij* & *Oueni Rouus*, gēti nostrę infensissimi, quin & nominis æquè ac Regiminis *Anglicani* im patientis, cæteris Indigenis moderatioribus sub ductu *Prestoni*, *Taffique* nihilo secius amplexantibus, & Paci porrò cum

Rege

Rege ineundæ ſtudentibus ſe opponunt, & prolata Pontificis Bulla contra pacem & inducias milites eorum à fide ſignis deterruerunt.

Hinc proculcatis Inducijs, paſſim ad arma conuolatur. Vnde *Marchioni Ormundij* (Regio ibidem Archiſtratego) Soli hinc ab *Anglis* & *Scotis*, indè ab *Hibernis* ſe ſuòſque defendendi neceſſitas incumbit. Tandem autem *Regijs* copijs in *Anglia* fuſis, Rebellibus *Hibernis* obſidione *Dubliniam* prementibus, Marchio diutinæ obſidioni ſuſtinendæ impar, pactis conditionibus *Dubliniam* & quicquid in *Hibernia* ſtetit ex partibus Regijs Parlamenti tradere honeſtius duxit, quàm permittere rem *Anglorum* & Proteſtantium in *Hibernorum* poteſtatem deuolui.

Bellum Regijs imminet & ab Hibernis & à Parlamētrijs

Reg'us Archiſtrategus Marchio Ormundius tradit Parlamentarijs quicqu'd à Regijs partibus ſtetit in Hibernia

Poſt

Pòst anni ferè ſpatium, *Rege* in cuſtodiam tradito, cùm ſpem omnem Pacis redintegrandæ, Libertatiſque Regi reſtituendæ Nouatores per ſuffragia *de non adeundo Rege* præcidiſſent (de quibus fuſiùs poſtea) nouis documentis inſtructus, & *Deputati Hiberniæ* titulo auctus, denuò in *Hiberniam* reuertitur *Ormundius*, vt pace qua poſſet optima facta, *Anglos*, *Scotos*, *Hibernòſque* conſociaret. Huic *Baro Inchequin*, ſtatim ac innotuit *Regicidium*, ſeſe cum *Anglis*, quotquot eius parent Imperio, coniungit. *Hiberni* quidam ſub *Preſtoni Taffique* vexillis, & qui priſtinas inducias haud prorſus auerſati fuerant, non dubitant ſocia ſigna admouere. Alij etiamnum ſuſpenſis hærent animis. *Scoti* primò ab hoſtilibus ſe temperant, debellando tamen communi inimico interim

Rege tamen in Cuſtodiã dato redit nouactus Au toritate.

Cui ſe coniungunt Angli pleriquè.

Hiberni quidam.

Scoti quoque.

rim

rim nauant operam, & ſpem faciunt in vnum tandem cum *Marchione* coalituros. Nunc denuò *Dubliniæ* Præfectus *Iones*, copiæque ibidem Parlamentariæ (ijdem ſcilicet illi, qui Inducias & Pacem cum Pontificijs ab *Ormundio* initam, vehementiùs conuitijs dirìſque proſequuti ſunt, tanquam de Religione actum foret) in eodem deprehenſi ſunt Meretricis Babylonicæ amplexu, cum *Oueno Rou*, Rebellium Archiſtratego, cædibus & ſanguine Anglorum infami, & iuratiſſimo Proteſtantium hoſte; iſtis enim monſtris, non ità pridem exſtirpandis, ſe tandem intimo fœdere aggregare, ſociàque vexilla iungere nihil erubeſcunt.

Sed repugnāte Prę fecto Pręlamentario.

Cum Rebelribus immaniſſimis induciæ pactæ.

Ab alienis cladibus (nec prorſus tamen alienis, quarum contemplationem vnico aſpectui ideo placuit ſubijcere,

licèt

licèt temporum diffitiſſimorum res forent , nè ſæpius excurrere neceſſe fuerit)redeamus ad noſtras , maioribus longè & apertioribus prælijs , minore licèt ſtrage & perfidia ſæuientes;parciùs deflagrante (quod dolendum) diuturnioris mali fomite . Siquidem vario diu Marte , & diuerſis locis , de ſumma rei pugnatum eſt , inter Copias *Regias* & *Parlamentarias.*)Parlamentariorum deinceps vocabulo intelligendi ſunt , qui Senacula ſeu Comitiorũ ſedes occupabant , quamvìs numero ſecedentibus inferiores , quos tamen Regij non aliò quàm *Rebellium* & *Perduellium* titulo perſtringunt.) Pugnatum eſt (inquam) diuersa fortuna, donec , illa partibus Regis adſpirante,animos apertiùs deſponderent Parlamentarij, indièſque à partibus ipſorum deficerent Factionis aſſe

Reditur ad Angliç turbamenta.

Prelia varia inter Regios & Parlamentarios.

Parlamentarij deſpondent animum, deficientibus multis & inclinante fortuna.

clæ,

clæ[f], redacti in anguſtias Senatores *Scotos* in Belli ſocietatem inuitant; ùtque refrigentem, & tantùm non exſtinctam Populi opinionem de zelo eorum in publicum commodū & Religionis puritatem, reſuſcitent, pecuniáſque interea emungant, ad notas recurrunt artes, in Regem ipſiúſque partes commenta de nouo cudunt, & Paſſim ſpargunt inter Populum, quaſi *Rex Tyrannidem abſolutam meditaretur, omniúmque qui ex aduerſo ſteterāt, poſſeſſiones fiſco addiceret, perſonas ſub iugum miſſurus, aut iſtud deſit fatum, ità vulgo tamen perſuadent Regios milites humanis carnibus aſſuetos, eoſdem inter epulas deuoraturos.* Hoſtias inſignes aliquot Iuſtitiæ immolant (ſic enim ſub illa tempora apud rerum ignaros audiebat ſanguinolentis ſpectaculis Plebis captandæ ſtudium, & propriæ vindictæ cupido) *Guilielmum*

Quibus artibus Populum nutātem in ſuas partes concilant.

Guilielmum Land ArchiEpiſcopum Cantuarienſem ; *Hothamium* vtrumque, patrem Equitem Auratum, & filium ; *Careum* etiam Equitem, omnes tribunos militum, ſecuri percutiendo. *Illum* nempe Perduellionis, ipſorum iudicio, damnatum; *hos* proditionis militaris, concilij cenſura, reos. Nec miratus eſt quiſquã *ArchiEpiſcopum* ab illis plecti, vtpote quem perditè odiſſent, & *Scotiæ* totius, populìque *Anglicani* inuidia premerat : Sed præter exſpectationem in Tribunos animaduerſum eſt, qui præcipuos Turbones in Comitijs primìque(pauciſſimis tam grande facinus audentibus) qui adversùs Regem arma induerant, & duo validiſſima ꝓpugnacula maritima, vnde maximum belli momentum tum temporis pendebat, *Hullam* ſcilicet & *Plimoutham* (illam armamenta-

rio Regio instructissimam, hanc commodissimum æstuarium) *Regi* præripuerant in Parlamenti fidem. *Preces* publicas & *Ieiunia* indicunt, leuiculis etiam de Victorijs dies *festos* instituunt; Tabulas superstitiosas, in quibus Christi, *Deiparæ Virginis*, aut *Sanctorum* imagines depictæ erant, publicè magnàque cum solennitate igni & nouo martyrio deuouent. *Crucis* signa & *obeliscos*, quibus istæ vel Sanctorum picturæ insculpebantur, quamuìs plateis *Londini* eminentioribus essent tum ornamento tum, vsui, diruunt: *Episcopatum* & *Liturgiam* (cuius verò contrarium pridem Declarationibus euulgatis vouerant) omnino *pronunciant abroganda: nouùmque Regimen Ecclesiasticum cum Directorio introducendum*, Synodìque sua Autoritate coactæ (ab omnibus quidem Prouincijs, ho minibus

Viam stèrnunt ad Scotos inuitandos.

hominibus præfervidis, concionandique peritis, sed minoris ut plurimum literaturæ, regiminique Ecclesiastico infensis) constitutionibus commendant; non autem huic liberè res euentilandas permittũt vltra metas ab ipsis statutas.

Scoti consentiunt pactis Articulis

Scoti nuper ab *Episcopis Anglicanis* proritati, sibimet etiam timentes, modò *Rex* de *Parlamentarijs* triumpharet, prædæ insuper fortè cupidi, *pactis Articulis* consentiunt, (quos inter primarius erat; qui Honestatis specie reliquis fucum & gratiã conciliabat, *nè quid noxæ Regiæ Personæ intentetur; nè quid fraudis Coronæ eius Iuribus, vel Hæredibus fieret*) *Sacramento* etiam inuicem à Membris vtriusque Parlamenti inito, omnibùsque alijs incolis vtriusque Regni sub eorum potestate obtruso, quòd *Nationale Fœdus*, & *Ligam* vocant. In eo promittunt,

& Fœdere.

pro

pro muneris & loci ratione sese Reformatam in Ecclesia Scotica Religionem, quo ad Doctrinam, Cultum, Disciplinam, Regimenque defensuros; Religionem in Angliæ & Hiberniæ Regnis, quoad Doctrinam, Cultum, Disciplinam, Regimènque iuxta Dei Verbum, & Ecclesiarum optimè reformatarũ exemplar reformaturos; Ecclèsiasque in tribus hisce Regnis ad arctissimam Consensionem & Uniformitatem in prædictis pro viribus adducturos; Papismum, Prælaturam, Superstitionem, Schisma, & Impietatem extirpaturos; Parlamenti in utroque Regno Iura & Priuilegia, Regnorumque libertates conseruaturos: & Regiæ Maiestatis Personã atque Autoritatem (in ueræ Religionis Libertatumque Regnorum cõseruatione & defensione) protecturos; vt attestetur uniuersus Orbis Conscientiis suis, de sua in Regem fidelitate: debitamque Regiæ Maie-

stati

ſtati poteſtatem & amplitudinem imminuendi, nullum illis animum aut intentionem ſubeſſe; omnes Incẽdiarios & Malignantes (hiſce perſtringunt titulis omnes, quicunq; Regijs fauebant partibus) *detecturos, vt publicas pœnas luãt; firmam æternámque pacem inter duo Regna molituros; inuicem quoque ſe defenſuros omnes, qui fœdere hoc ſeſe obſtrinxerunt, & in iſto conſtanter permanſuros.*

In quibus Indepẽdẽtes Anteſignani. Huius Fœderis cum *Scotica* Natione paciſcendi, non poſtremi Autores *Independentes* erant; vt & inuitis & reluctantibus quibuſcunque in hoc Sacramentum adigendis præcipui & acerrimi, quanquam ex ipſis complures ab eodem abſtinuerint, nè ſcilicet hoc nomine ad Regiæ Perſonæ defenſionem aſtringerentur. Nec hoc prætereundum exiſtimo, *Fœdus* ſiue *Sacramentum Nationale*, prout *Scotorum* exijt ab incude, *Perſo-*

næ Regiæ simpliciter defendendæ mentionem fecisse; *conditionem* verò *adiectam* fuisse *à nostris*, Inferioris *Senaculi* hominibus, contra sensum & tenorem Sacramenti, suggerentibus id fraudis atque fuci *Independentibus*, *obtentu* scilicet Regiæ saluti satis prospectum esse alijs iuramentis, repetitam salutis suæ in isto Sacramento promissionem Regis animum aduersùs Parlamentum obfirmaturam, animósque Plebis contra Parlamenti obsequia scrupulis oneraturam; *reuera* tamen vt Regicidio (quod tùm animo meditabantur) patrando viam, remotis (quantum fieri posset) obstaculis, præstruerent.

Illis inter *Scotos*, *Anglósque* peractis, hoc Sacramento qui bona fide se obstringi patiebantur, *Presbyteriani* audire gesti- erunt, & summam rerum adepti sunt, famulantibus alijs

Qui fœdere isto sese obstrinxerunt bona fide, Presbyteriani audire gestiunt.

E minoris

Immaniter sæuiunt in dissentientes.

minoris notæ factionibus. Hi sæuiunt immaniter in dissentientes; Omnes qui *fœdere hoc sacrosancto* teneri renuunt, quãuis contra factionem Parlamentariam nihil antè admisissent, quamuis nullas impositiones & tributa detrectassent, imò sponte in Copiarum Parlamẽtariarum stipendia pecunias erogassent (*Ministrôs* præsertim *Ecclesiæ*, qui opimis fruebantur Beneficijs) ædibus, bonis, & reditibus, sequestri nomine spoliant; carceribus inclusos per annos plures (imò nauibus in fluuio *Tamesi*, idque efferuescente iam æstate) nec audita caussa, neque accusatione allata, squalore, ieiunijs, & vigilijs macerant. Hoc crudelitatis & barbariei exequuntur Parlamentarij, delegata selectis quibusdam in qualibet prouincia & Ciuitate viris autoritate, quos *Commissarios* vocant

Ex.

Ex huius Fœderis religione (vt illuc, vnde digressus sum, reuertar) Filii Patres, Patres Filios, Serui Dominos, Vxores Maritos, &c. insectari, deferre, & spoliare (ad minimum, contra sentientibus debita detrectare officia) doceban tur. Hisce de caussis multi cōtra conscientiæ dictamina, porrigunt ora Sacramēti capistro; & tandem, siue quòd Regi se crederent obnoxios, vel conscientia Sacramenti laborarent, se Parlamenti partibus addixerunt. Fructus Fœderis.

Aduersùs hoc multi passim docti iuxtà & religiosi insurgebant, editìsque tractatibus ad volumina iusta excrescentibus (inter quos *Iudicium Oxoniense*, opus irrefragabile, Latinè prodiit) conuellebant, vtpote diuinis humanìsque Legibus contrarium, nil opponentibus præter vim & Argumenta bacillina Presbyterianis.

Scoti in Angliam irrũpunt. Hisce prodromis artificijs præmunientes aditum in *Angliam*, viginti millibus armatorum in Boreales tractus effusis, bellum *Parlamenti* caufa *Scoti* capeffunt: Sed prius miffis ad Regem delegatis, qui fuaderent fuafponte pronum fatis, vt in gratiam cum Parlamento rediret; & fefe arbitros Controuerfiæ proponerent, qui, cùm eos Rex ceu iniquos Iudices repudiaret, iuberetque vt res fuas domi curarent, bellum illicò fociale denunciant.

Rex fibi ex hac tẽpeftate profpicit. Rex haud ignarus tempeftatem iftam in fe fuófque ruituram, fibi, quantum potuit, ex aduerfo profpexerat: Proceres & minorum Gentium Senatores, qui de Senatu pulfi, nec dum Rempublicam deferere officij effe fui ducentes ad Regias partes fe contulerant (quorũ Illi numerũ quadragefi-

mum,

dragesimum, vnà cum magni Sigilli; Custode, Hi bis centenum excedebant.) *Oxonium* transferre Comitia videbantur; vbi non priùs ad Arma, quàm ad Consilia, apud Regem admissi, Consessum pro Comitiorum more, Autoritate Regia peragebant, de Regni negotijs pacatiùs illic deliberaturi, vbi nihil ad Parlamenti potestatē dignitatèmque deerat, præter parietes, & constitutum Regio Edicto Senatus habendi locum.

Parlamentum Oxonij.

His id vnicè à Rege propositum erat, vt, quantum in ijs esset, procellam auerterent, vel, vt sustineri commodiùs posset, prospicerent. Scriptis itaque monent hi viri Nationem Scoticam, *ne hostiliter Angliæ Regnum & Regem inuaderent, nec Legem pacificatoriam pridem ratam violarent. Perduellionis esse crimen pronunciant, armis Regem*

Scribit ad Scotos

Læsæ Maiestatis reos pronunciat Senatores apud Vestmonasterium.

inuadere;nec minùs Gentem exteram,ipso inconsultò, in Regnum accersere;Homines (cæteros scilicet Senatores *apud Vestmonasterium etiamnum sedentes, vtroque nomine læsæ Maiestatis reos esse;*Pecunias etiam (quas possent exhaustæ Prouinciæ & Ciuitates, quę Regi adhuc parebant, suppeditare)ad duplicis futuri Belli sumptus ferendos cogunt.

Rex mittit Marchionem Hamiltonium ad Scotos retrauẽdos.

Rex *Marchioni Hamiltonio* imperat, vt domi suæ *Scotos* contineat, nè se alterius *Regni* negotijs immisceant; quem postea (cùm mala illum fide officium Regi præstitisse innotesceret) ad Regem è *Scotia* periculi prætextu transfugientem custodiæ mandauit *Regia Maiestas*, *Comitèmque Montis Rosanum*, Archistrategi & Proregis titulo auctum in *Scotiam* transire iubet, vt à fouendis in *Anglia* turbamẽtis reuellerentur,

Ab eo delusus Comitẽ Montẽ Rosiũ mittit.

tur,

tur, domi suæ reciprocè perturbati.

Verùm ista non effecere, quò minùs inceptis suis (vt supra monuimus) persisterent *Scoti*: qui mox Regiarum Copiarum magnam partem Borealibus in plagis distinent occupatam, à debellandis alibi Parlamentarijs, tandèmque ope manus *Anglicanorum* Militum (quæ parabatur à Comitijs in eorum auxilium fundunt fugàntque, *Nouum Castellum* expugnant, aliásque munitiones, vnde indies inclinat Res Regia, & labitur tandem, cedente Parlamentarijs vndique victoria. Scoti distinent Regios. fundunt Regiæ partes inclinant.

Rex tandem accisis copijs, attritìsque viribus, partim *Scotis* Parlamento Copias subministrantibus, partim factionibus inter *Proceres* suos, & *Ductores* Exercitus indies glicentibus (vt minimè lateat divinæ vindictæ vis, cui frustrà

humanis quibuſcunque viribus obſiſtitur) primò *Londinum properare*; *Fideique Parlamentariæ ſe committere* deinde Exercitus *Anglicani* in amplexus ſe conijcere obtulit; ſed ab vtriſque reiectus, rebus in creperis, audaci conſilio vſus in *Scotorum* ſe manus tradit, ſtipulante de ſalute eius, & æquis conditionibus paciſcendis, cum vtraque Natione *Legato Gallico*, (qui tunc temporis in *Scotorum* caſtris cõmmorabatur) vt & Ducibus quibuſdam *Scoticis*. Hinc ſimultates inter *Scotos* & *Independentes* (ſic enim iam audit, *altera nouatorum Factio*) priùs nata, latiùs diſſeminatur, & pænè in bellum erumpit.

Cùm fruſtrà tentat at Anglos.

Rex in Scotorũ ſe tradit manus.

Simultas inter Scotos, Angloſque Independentes prius nata, latiùs diſſeminatur.

Iam pridem ſtipendijs fraudare *Scotos* neceſſitatem ipſis imponere, victum & pecunias à Prouincijs; in quas caſtra mouerant, extorquendi, indè odio exponere, extenuare merita,

Independentium irritamẽta, quibus Scotos laceſſebant.

rita, derogare fortitudini Gentis, Mercenarios & conductitios appellare, dum ipsi interim non aliam ijs reponunt, præter opprobria, mercedem. Iam autem instant, aperto Marte exturbandos è Regno, irritare, & aduersùs eos signa mouere incipiunt. Nec multùm ausi contrà hiscere Presbyteriani *Angli* (qui cum *Scotis* idem sentiebant) nè viderentur *Scotorum* potius insolentiæ consulere, quàm Patriæ honori.

Continentibus sese Presbyterianis.

Tandem post longas altercationes (*Scotis* præ se ferentibus, *per Leges Naturæ, Nationum, Hospitij, non licere sibi Regem, qui vltro cesserat in eorum potestatem Parlamētarijs tradere*; *Independentibus* autem *Comitiorum* nomine contrà vrgentibus, *non licuisse Scotis Regem in suum exercitum admittere, intrà Angliam, & stipendijs Anglorum mili-*

Altercatio inter Scoto & Parlamētum Anglicanū

Scoti acceptis pecunijs Regem tradunt in manus Parlamenti.

tantibus, multò minùs penès se, invito Parlamento retinere) *Regia* persona traditur in *Parlamentariorum* manus, *Scotique* centum millibus librarum sterlinarum acceptis, centum alijs millibus intra spacium vnius anni promissis, è *Regno* discedunt, ea tamen interposita cautione, nè *quid noxæ Regiæ (quod absit) Personæ intentetur, atque Ipse intra aliquam è Palatijs Regijs Basilicam reciperetur, ità vt Maiestati non minus quàm saluti Regiæ prospiceretur; vnde tentari posset Argumentis ab vtraque Natione ad Propositiones vtriusque Regni rati habendas*. Hoc fine Rex

Rex à Nouo-Castello deducitur ad Holmby.

Nouo Castello excipitur à Delegatis Parlamentarijs, quatuor scilicet de Senaculo Superiori Proceribus, & octo Generosis de Inferiori, cum militum satellitio, & deducitur ad *Holmby*, palatium in agro *Northhamptoniensi*; vbi splendidâ quidem,

dem,

dem,sed arctam passus est custodiam, omnibus scilicet longè amolitis, qui Regis vnquam partibus studuisse vel suspecti essent; imò & Sacellanis, quos ardenter non vnis ad *Comitia* scriptis expetebat.

Non ampliùs dissimulata Victorum studia de præda & Imperio concertantium,in diuersa nomina & sectas abierunt, quas omnes vnico *Nouatorum* nomine priùs perstrinximus, nunc in suas classes dirimemus;atque etiam quo astu, quibùsue gradibus ad principatum contenderint,enarrabimus.

Nonatores inter se dissentiunt.

Nouatorum larga acceptio complectitur omnes, qui Regi aduersabantur, auitisque Legibus,siue in Ecclesiasticis, siue in Secularibus quicquam innouandi prætextu(& sic *Presbyteriani* omnes,qui nouatum ibant Regimen Ecclesiæ & Liturgiam, vt & statum Ciuilem in

Digressio ad enucleandas Nouatorum secta & studia.

Presby-
teriani.
Aristo-
cratici
sub præ-
textu Mo
narchiæ.

in Aristocraticum, seruato nomine Regio, & Vmbra Monarchiæ) mutatum volebant. *Independentes* etiam moderatiores, & de grege *Anabaptistarum* aliqui, qui Regimen *Ecclesiasticum* nullum Nationale stabilitum optabant, & quibus magis arridebat *Democratia*, seruato tamē Regis nomine & persona. Præcipui tamen, quibus hæc Appellatio pro meritis inurenda est, ex pauculis *Presbyterianis* rigidissimis, maximā verò partem ex Independentibus & Catabaptistis constabat, qui penitùs euulsis Monarchiæ radicibus, & deleto nomine Regio, *Oligarchiam* nonnulli, *Anarchiam* quidam, *Democratiam* plurimi extruere conabantur. De hisce præsertim loquimur, qui Antesignani alijs erant, rerùmque turbandarum primi Autores, & iam consecuti sunt, ad quem à principio

Indepen-
dentes
Aristo-
cratici.
sub præ-
textu
Monar-
chiæ.

Oligar-
chici Mo
narchiam
pessum
ibant.

Hi præ-
cipui No
vatores.

tipio collimarunt , scopum ; qui, proculcatis auitis Legibus, prostatis etiam ijs, qui manum commodarunt ascendentibus aliorumque pœne omnium opera abusi, ad Imperij culmen aspiratur.

Factio hæc ; à teneris turbarum incrementis, uix ullo distinguebatur titulo, sed Patriotarum & Religiosissimorum hominum larua tegebatur. At rerum miscendarum, & Ciuilis Belli inflammandi occasionibus inuigilabat sedulò, insufflabat, & mox bello flagrante, turbatòque Reipublicæ statu, nè dissidia componerentur, neruis omnibus adnitebatur. Hinc Regem irritare aduersùs Senatum, Senatorum vicissim animos in Regem exulcerare, poma contentionis vndique spargere, Plebem verò quauis aura huc illuc agitare in fluctus, atque

Factionis huius origo, & artes.

Quibus miscent omnia.

que miſcere, vt Demagogi aſſolent.

Bellum ſuſcitant.

Cùm ità bene felicitèrque verterat Regem calumniandi per omnia odium in Principem congerendi ſolertia,à Rege primùm,deinde etiam à pace animos populi auertunt.

Pacem coalituram impugnant.

Comitia, ſiquando vel Propoſitiones ad Regem mittendas, vel à Rege tranſmiſſas obſeruarent (quibus, obductis Contentionis & Belli cicatricibus, pacem reſtitutum iri probabile erat) in ſecundis prætumida, poſtulant, *nè quod iam ferè adepti ſunt vi & armis, precariò, & pactis conditionibus acquirerent*; reflante verò fortuna, ſtatim deſpondentia animos obteſtantur, *nè iſto in ſtatu de pace redintegranda cogitarent, quam afflicta fortuna durioribus conditionibus inire neceſſum foret, nè tantum excideret honoris Parlamẽtarij cura, vt quicquam*

quam

quam facere metu & vi coacti videantur. Etiam rumoribus ſparſis, & fictis literis, teſtibúſque ſubornatis neſcio quas machinationes, dolos, & monſtra periculorum, ſpecioſis amicitiæ laruis ſubeſſe clamitant, per omnia amoris in Rempublicâ viſcera, per fidem qua tenebantur, obteſtantur, longis orationibus & argumentis contendunt, vt incertam potiùs Belli aleam ſubirent, & indè Dei (ſic placuit appellare) ſuffragium de re tanta exſpectarent, quàm pacem cum Rege, conditionibus inſidis, & Reipublicæ damnoſis inirent, vehementer vrgere.

Iſtis artibus creduli & in ſuſpicionem proni, adde etiam, & meritorum conſcij facilè irretiuntur; conditionèſque adèo duræ Regi obtruduntur, vt hiſce abſque conſcientiæ læſione, Amicorum ruina, Hono-

ris

ris naufragio consentire non licuerit].. Literæ & Proposita Regiæ Maiestatis, licèt æquissima, & sæpius (vicies penè) transmissa, sùsque dèque habita reijciuntur.

Interim Bellum ad sua commoda trahunt.

Interim opportunitatem belli ad sua commoda trahentes hi boni viri, dum ipsi publicæ Libertatis Propugnatores sese venditant, Zelùmque Religionis asserendæ planè diuinum præ se ferunt, insinuant se plurimis & quæstus & potentiæ muneribus. Deinde radices latiùs spargentes, in conspirationem alios post alios pertrahunt, & tum in *Comitijs*, tum in Prouincijs vberes progressus faciunt. Hic leuem Plebeculã ad Petitiones commouendo, vel potiùs Populi nomen Petitionibus (à duobus tribùsue suæ Factionis concinnatis) affigendo. Illic verò, Autoritate Senatorum per

Eorum incrementa.

per fraudes & astutias technis proprijs accommodando. Quod factu non adeò difficile erat, dum vel primo manè, vel concubia, nocte, aut non comparentibus, qui diuersa censebant, Senatoribus, aut ad priuatas commoditates procurandas d'lapsis, captarent omnes suffragiorum ferendorum opportunitates, & per sincipuc prehenderent securam occasionem; ità vt minor pars, sed vigilantior, maiorem, sed minùs sedulam paullatim circumueniret. Siquid inter Comitia disceptandum in medio proferretur, quod minimè conclusum vellent, aut molitionibus aduersaturum è longinquo prospicerent, manibus pedibùsque contrà-eundo, vel quæsitis diuerticulis, aut iniectis inter æstus disputandi scrupulis, vt rei determinatio in aliud tempus distineretur, procurabant.

Indefessa sedulitas in comitijs.

Scoti in Angliam irrupunt.

Hisce prodromis artificijs præmunientes aditum in *Angliam*, viginti millibus armatorum in Boreales tractus effusis, bellum *Parlamenti* causa *Scoti* capessunt: Sed priùs missis ad Regem delegatis, qui suadèrent suaſponte pronum satis, vt in gratiam cum Parlamento rediret; & sese arbitros Controuersiæ proponerent, qui, cùm eos Rex ceu iniquos Iudices repudiaret, iuberetque vt res suas domi curarent, bellum illicò sociale denunciant.

Rex sibi ex hac tẽpestate prospicit.

Rex haud ignarus tempestatem istam in se suósque ruituram, sibi, quantum potuit, ex aduerso prospexerat: Proceres & minorum Gentium Senatores, qui de Senatu pulsi, nec dum Rempublicam deserere officij esse sui ducentes ad Regias partes se contulerant (quorũ Illi numerũ quadragesimum,

dragesimum, vnà cum magni Sigilli; Custode, Hi bis centenum excedebant) *Oxonium* transferre Comitia videbantur; vbi non priùs ad Arma, quàm ad Consilia apud Regem admissi, Consessum pro Comitiorum more, Autoritate Regia peragebant, de Regni negotijs pacatiùs illic deliberaturi, vbi nihil ad Parlamenti potestatē dignitatèmque deerat, præter parietes, & constitutum Regio Edicto Senatus habendi locum. Parla-mentum Oxonij.

His id vnicè à Rege propositum erat, vt, quantum in ijs esset, procellam auerterent, vel, vt sustineri commodiùs posset, prospicerent. Scriptis itaque monent hi viri Nationem Scoticam, *ne hostiliter Angliæ Regnum & Regem inuaderent, nec Legem pacificatoriam pridem ratam violarent. Perduellionis esse crimen pronunciant, armis Regem* Scribit ad Scotos

Læsæ Maiestatis reos pronunciat Senatores apud Vestmonasterium.

inuadere;nec minus Gentem exteram,ipso inconsultò, in Regnum accersere;Homines (cæteros scilicet Senatores apud Vestmonasterium etiamnum sedentes, vtroque nomine læsæ Maiestatis reos esse;Pecunias etiam (quas possent exhaustæ Prouinciæ & Ciuitates, quę Regi adhuc parebant, suppeditare)ad duplicis futuri Belli sumptus ferendos cogunt.

Rex mittit Marchionem Hamilitonium ad Scotos retrauēdos.

Rex *Marchioni Hamiltonio* imperat, vt domi suæ *Scotos* contineat, nè se alterius *Regni* negotijs immisceant; quem postea (cùm mala illum fide officium Regi præstitisse innotesceret) ad Regem è *Scotia* periculi prætextu transfugientem custodiæ mandauit *Regia Maiestas*, *Comitèmque Montis Rosanum*, Archistrategi & Proregis titulo auctum in *Scotiam* transire iubet, vt à fouendis in *Anglia* turbamētis reuelleren-

Ab eo delusus Comitē Montrossiū mittit.

tur,

tur , domi ſuæ reciprocè per turbati.

Scoti diſtinent Regios.

Verùm iſta non effecere , quò minùs inceptis ſuis (vt ſupra monuimus) perſiſterent *Scoti* : qui mox Regiarum Copiarum magnam partem Borealibus in plagis diſtinent occupatam , à debellandis alibi Parlamentarijs , tandèmque ope manus *Anglicanorum* Militum (quæ parabatur à Comitijs in eorum auxilium fundunt fugàntque , *Nouum Caſtellum* expugnant , aliáſque munitiones , vnde indies inclinat Res Regia , & labitur tandem , cedente Parlamentarijs vndique victoria.

fundunt

Regiæ partes inclinant.

Rex tandem accifis copijs , attritìſque viribus , partim *Scotis* Parlamento Copias ſubminiſtrantibus , partim factionibus inter *Proceres* ſuos , & *Ductores* Exercitus indies gliſcentibus (vt minimè lateat diuinæ vindictæ vis , cui fruſtrà

humanis quibuſcunque viribus obſiſtitur) primò *Londinum properare*, *Fidèique Parlamentariæ ſe committere* deinde Exercitus *Anglicani* in amplexus ſe conijcere obtulit; ſed ab vtriſque reiectus, rebus in creperis, audaci conſilio vſus in *Scotorum* ſe manus tradit, ſtipulante de ſalute eius, & æquis conditionibus paciſcendis, cum vtraque Natione *Legato Gallico*, (qui tunc temporis in *Scotorum* caſtris cõmmorabatur) vt & Ducibus quibuſdam *Scoticis*. Hinc ſimultates inter *Scotos* & *Independentes* (ſic enim iam audit altera nouatorum *Factio*) priùs nata, latiùs diſſeminatur, & pænè in bellum erumpit.

Cùm fruſtrà tentat Anglos: Rex in Scotorū ſe tradit manus.

Simultas inter Scotos, Angloſque Independentes prius nata, latiùs diſſeminatur.

Iam pridem ſtipendijs fraudare *Scotos* neceſſitatem ipſis imponere, victum & pecunias à Prouincijs; in quas caſtra mouerant, extorquendi, indè odio exponere, extenuare me-

Independentium irritamenta, quibus Scotos laceſſebant.

rita, derogare fortitudini Gentis, Mercenarios & conductitios appellare, dum ipsi interim non aliam ijs reponunt, præter opprobria, mercedem. Iam autem instant, aperto Marte exturbandos è Regno, irritare, & aduersùs eos signa mouere incipiunt. Nec multùm ausi contrà hiscere Presbyteriani *Angli* (qui cum *Scotis* idem sentiebant) nè viderentur *Scotorum* potius insolentiæ consulere, quàm Patriæ honori.

Continentibus sese Presbyterianis.

Tandem post longas altercationes (*Scotis* præ se ferentibus, *per Leges Naturæ, Nationum, Hospitij, non licere sibi Regem, qui vltro cesserat in eorum potestatem Parlamētarijs tradere; Independentibus* autem *Comitiorum* nomine contrà vrgentibus, *non licuisse Scotis Regem in suum exercitum admittere, intra Angliam, & stipendijs Anglorum mili-*

Altercatio inter Scoto & Parl. mētum Anglicanū.

Scoti acceptis pecunijs Regem tradunt in manus Parlamenti.

tantibus, multò minùs penès se, inuito Parlamento retinere) Regia persona traditur in *Parlamentariorum* manus, *Scotique* centum millibus librarum sterlinarum acceptis, centum alijs millibus intra spacium vnius anni promissis, è *Regno* discedunt, ea tamen interposita cautione, nè *quid noxæ Regiæ (quod absit) Personæ intentetur, atque Ipse intra aliquam è Palatijs Regijs Basilicam reciperetur, ità vt Maiestati non minùs quàm saluti Regiæ prospiceretur; vnde tentari posset Argumentis ab vtraque Natione ad Propositiones vtriusque Regni rati habendas.* Hoc fine Rex *Nouo Castello* excipitur à Delegatis Parlamentarijs, quatuor scilicet de Senaculo Superiori Proceribus, & octo Generosis de Inferiori, cum militum satellitio, & deducitur ad *Holmby*, palatium in agro *Northamptoniensi*; vbi splendidā quidem,

Rex à Nouo-Castello deducitur ad Holmby.

dem,

dem, sed arctam passus est custodiam, omnibus scilicet longè amolitis, qui Regis vnquam partibus studuisse vel suspecti essent; imò & Sacellanis, quos ardenter non vnis ad *Comitia* scriptis expetebat.

Non ampliùs dissimulata Victorum studia de præda & Imperio concertantium, in diuersa nomina & sectas abierunt, quas omnes vnico *Nouatorum* nomine priùs perstrinximus, nunc in suas classes dirimemus; atque etiam quo astu, quibùsue gradibus ad principatum contenderint, enarrabimus.

Nonatores inter se dissentiunt.

Nouatorum larga acceptio complectitur omnes, qui Regi aduersabantur, auitìsque Legibus, siue in Ecclesiasticis, siue in Secularibus quicquam innouandi prætextu (& sic *Presbyteriani* omnes, qui nouatum ibant Regimen Ecclesiæ & Liturgiam, vt & statum Ciuilem

Digressio ad enucleandas Nouatorum Secta & studia.

Presbyteriani Aristocratici sub prætextu Monarchiæ. Independentes Aristocratici sub prætextu Monarchiæ.

in Aristocraticum, seruato nomine Regio, & Vmbra Monarchiæ) mutatum volebant. *Independentes* etiam moderatiores, & de grege *Anabaptistarum* aliqui, qui Regimen *Ecclesiasticum* nullum Nationale stabilitum optabant, & quibus magìs arridebat *Democratia*, seruato tamē Regis nomine & persona. Præcipui tamen, quibus hæc Appellatio pro meritis inurenda est, ex pauculis *Presbyterianis* rigidissimis, maximā verò partem ex Independentibus & Catabaptistis constabat, qui penitùs euulsis Monarchiæ radicibus, & deleto nomine Regio, *Oligarchiam* nonnulli, *Anarchiam* quidam, *Democratiam* plurimi extruere conabantur. De hisce præsertim loquimur, qui Antesignani alijs erant, rerùmque turbandarum primi Autores, & iam consecuti sunt, ad quem à principio

Oligarchici Monarchiam pessum ibant.

Hi præcipui Nouatores.

cipio

tipio collimarunt, ſcopum; qui, proculcatis auitis Legibus, proſtatis etiam ijs, qui manum commodarunt aſſcendentibus aliorumque pœne omnium opera abuſi, ad Imperij culmen aſſpiratur.

Factionis huius origo, & artes.

Factio hæc; à teneris turbarum incrementis, uix ullo diſtinguebatur titulo, ſed Patriotarum & Religioſiſſimorum hominum larua tegebatur. At rerum miſcendarum, & Ciuilis Belli inflammandi occaſionibus inuigilabat ſedulò, inſufflabat, & mox bello flagrahte, turbatòque Reipublicæ ſtatu, nè diſſidia componerentur, neruis omnibus adnitebatur. Hinc Regem irritare aduersùs Senatum, Senatorum viciſſim animos in Regem exulcerare, poma contentionis vndique ſpargere, Plebem verò quauis aura huc illuc agitare in fluctus, at-

Quibus miſcent omnia.

que miſcere, vt Demagogi aſ-ſolent.

Bellum ſuſcitant. Cùm ità bene feliciterque verterat Regem calumniandi per omnia odium in Principem congerendi ſolertia, à Rege primùm, deinde etiam à pace animos populi auertunt. *Comitia*,

Pacem coalituram impugnant. ſiquando vel Propoſitiones ad Regem mittendas, vel à Rege tranſmiſſas obſeruarent (quibus, obductis Contentionis & Belli cicatricibus, pacem reſtitutum iri probabile erat) in ſecundis prætumidæ, poſtulant, *nè quod iam ferè adepti ſunt vi & armis, precariò, & pactis conditionibus acquirerent*; reflante verò fortuna, ſtatim deſpondentia animos obteſtantur, *nè iſto in ſtatu de pace redintegranda cogitarent, quam afflicta fortuna durioribus conditionibus inire neceſſum foret, nè tantum excideret honoris Parlamẽtarij cura, vt quicquam*

quam facere metu & vi coacti videantur. Etiam rumoribus sparsis, & fictis literis, testibusque subornatis nescio quas machinationes, dolos, & monstra periculorum, speciosis amicitiæ laruis subesse clamitant, per omnia amoris in Rempublicâ viscera, per fidem qua tenebantur, obtestantur, longis orationibus & argumentis contendunt, vt incertam potiùs Belli aleam subirent, & indè Dei (sic placuit appellare) suffragium de re tanta exspectarent, quàm pacem cum Rege, conditionibus insidis, & Reipublicæ damnosis inirent, vehementer vrgere.

Istis artibus creduli & in suspicionem proni, adde etiam, & meritorum conscij facilè irretiuntur; conditionèsque adèo duræ Regi obtruduntur, vt hisce absque conscientiæ læsione, Amicorum ruina, Hono-

ris

ris naufragio consentire non licuerit]. Literæ & Proposita Regiæ Maiestatis, licèt æquissima, & sæpius (vicies penè) transmissa, sùsque dèque habita reijciuntur.

Interim Bellum ad sua commoda trahunt.

Interim opportunitatem belli ad sua commoda trahentes hi boni viri, dum ipsi publicæ Libertatis Propugnatores sese venditant, Zelùmque Religionis asserendæ planè diuinum præ se ferunt, insinuant se plurimis & quæstus & potentiæ muneribus. Deinde radices latiùs spargentes, in conspirationem alios post alios pertrahunt, & tum in *Comitijs*, tum in Prouincijs vberes progressus faciunt. Hic leuem Plebeculā ad Petitiones commouendo, vel potiùs Populi nomen Petitionibus (à duobus tribùsue suæ Factionis concinnatis) affigendo. Illic verò, Autoritate Senatorum

Eorum incrementa.

*

per

per fraudes & astutias technis proprijs accommodando. Quod factu non adeò difficile erat, dum vel primo manè, vel concubia nocte, aut non comparentibus, qui diuersa censebant, Senatoribus, aut ad priuatas commoditates procurandas dilapsis, captarent omnes suffragiorum ferendorum opportunitates, & per sincipat prehenderent secuturam occasionem; ità vt minor pars, sed vigilantior, maiorem, sed minùs sedulam paullatim circumueniret. Siquid inter Comitia disceptandum in medio proferretur, quod minimè conclusum vellent, aut molitionibus aduersaturum è longinquo prospicerent, manibus pedibùsque contrà-eundo, vel quæsitis diuerticulis, aut iniectis inter æstus disputandi scrupulis, vt rei determinatio in aliud tempus distineretur, procurabant.

Indefessa sedulitas in comitijs.

bant. Si maior suffragiorum numerus eorum vicerat sententiam, captabant aliunde occasionem alicuius sciti sanciendi, quod infringeret prioris neruos, & Scopum eluderet. Siquid animis volutâssent, quod suspicionem crearet aduersarijs aut plenis & frequentibus Comitijs nullo pacto obtineri spes esset; fictis necessitatibus, aut negotijs reuera urgentibus, ablegandos rus Presbyterianos curabant, quibus peregrè Ripublicæ caussa nihili aliquid molientibus, consentientibus mirè suffragijs, quiduis apud se decernendum proponebant.

Priuata Conciliabula agitando. Neque indè parùm res suas promouebant; quod solerent *priuata* agitare *Conciliabula*, & Conuentus; vbi collatis inuicem sententijs, quod in rem esset prospiciebant, quomodo se publicè gererent, & quas quisque partes sustineret.

Hisce

Hisce & istiusmodi Artibus potentiam mediocrem adepti *Nouatores* isti, *Independentes* audire non recusant (nato indè nomine, quòd hi nullius Ecclesiæ Nationalis, nullius Ciuilis ordinis arbitrio pendêtes, omnia ad Doctrinam Regimènque Ecclesiasticum spectantia intra priuatos Cœtus administrarunt) non quòd de Religione magnopere soliciti essent horum plerique, sed quòd speciosa ista professio latissimã panderet sectis omnibus fenestram, vnde Factionis suæ numerus & potentia intumesceret. *Fratres* etiam & *Sancti* (quòd sic se mutuò compellarent) ab alijs per ludibrium appellabantur.

Potentiam adepti Independentium titulum arrogant.

Quinam Independentes vocitentur.

Nihilominus, quò latius familiam disseminarent, fictàque Humanitate, & cedendi atque obsequendi alacritate complurium aucuparentur beneuolentiam,

Latè familiam spargunt, sese omnium hominum ingenijs accomodando.

tiam, cuiusuis farinæ hominibus solicitè se applicant, & congruis cuique naturæ illecebris pertentant animos; Religiosis Diuini cultus reformationem pollicentes; Concionatoribus facta spe redituum Episcoporum & Decanorum, Presbyterij quoque lege sanciendi, salua pijs, modestè dissentientibus, libertate, Schismaticis licentiam, Hæreticis impunitatem bona fide præstantes; ambitiosos Honore Titulisque inescantes; Auaris pecunias, vel compensationis vel stipendij nomine, persolui procurantes; minas Obnoxijs intentantes; Facinorosis asylum aperientes; &c. (vt verbo dicam) videbant neminem propositis ipsorum obstinatè contrarium, quem non, Emissarijs & Exploratoribus passim dispositis, literis interceptis, verbis & actionibus in sequiorem

Obstinatos persequuntur.

rem

rem sensum detortis, in suspicionem & discrimen pertraherent, neminem in clientelam admittebant, quin ei, licet flagitiosissimo, maximisque facinoribus infami, in omnibus patrocinarentur. Quos inter, Oratorem Domus Interioris *Lenthalium*, hominem promouendis rebus suis idoneum; cum repetundarum teneretur, impunitate oblata, pecuniisque elargitis, sibi adsciscunt socium; rationibus eorum non minus inseruiturum, eoque (vti par est) fideliorem, quo magis obnoxium.

Pronis Patrocinantur quibuscunque.

Noui & speciosi quidem Decreti obtentu, (quo Senatum quasi refringere, & integritati suæ restituere prætendebatur, & quod *spontaneæ suiipsius abnegationis*, siue *ἀρνητίας* nomine sanctius incrustarunt) *Persbyterianis* neruos maxime succiderunt, propriasque firmarunt vires. Hoc enim instituto ca-

Prætextu Decreti.

Presbyteris nos celudunt.

utum

utum est, nè quis ex alterutro Senaculo, post præfinitum diem, siue castrensi, siue quæstuario fungeretur officio. Quo effectum est, vt æmulæ Factionis plurimi priuarentur muneribus, quibus sese immiscuerant.

Quæstuarijs & Militaribus munijs fraudant.

Hinc totius quasi Ciuilis status immutandi, vniuersæ quoque militiæ, nouo pro modulo (vtì tunc loquebantur) ad nutum & arbitrium suum disponendæ ansa arripitur; quorum vtrique magna ex parte sufficiuntur Factionis istius Candidati. Quin nec abstinere breui ab eorum ambitu potuerunt ipsi Senatores Independentes, auidè conquisitis interdum, vbi deficerent, occasionibus, & ἀφεαυτίας Decreto solenniori in φιλαυτίαν studium planè verso.

Quibus seipsos & asseclas ingerunt.

Exercitui præficiunt, (post sepositum) ipsorum genio minùs-

Noui Ductores Exercitus

nùs quadrantem(*Essexium*,Equitem *Thomam Fairfaxium* ; Fairfaxius. *Ferdinandi* Baronis filium , qui supererat, vnicum ; bellicosum quidem , sed eo ingenio , vt iussa capessere aptior videretur, quàm imperare; telique instar, certissimo ictu petere, quò ferientis manus dirigeret . Huic, *Hypo Strategi* titulo , Moderatoris verò in locum , adiungebatur *Cromuellius* , qui decocto Cromuellius. ad assem pænè , nec prælargo patrimonio , resarciendis fortunis nouam instituit ex Religione mercaturam , Schismaticorum se turbis ingerens Antesignanum & Propugnatorem , atque horum fauore in Senatorium ordinem cooptatus est . Vultis ipsum uiuis coloribus , qualisque à suis (etiam scriptis euulgatis) depingitur, intueri ? *Egregius simulandi, dissimulandique artifex, qui sublatis in cœlum oculis , dextrâque pectori applicata,*

cata, Dei Nomen inuocabit, lacrymabitur, precabitur, aget pœnitentiam; donec sub quinta costa traiecerit alloquentem. Taceo de Ambitione, Auaritia, Superbia, quas Democratici nup eius Socij plenis buccis obijciunt. Tribuni, Centuriones, minorúmque Ordinum Ductores reliqui, ex Schismaticis, aut hisce non valdè infensis potissimùm deliguntur. Interea *Cromuellij* genero, Agnatis, & familiaribus eodem tempore splendidiora in Execitu munera deferuntur.

Tribuni, Centuriones, &c. è Schismaticis.

Horum solertia.

Non illi horas, tantam nacti oportunitatem, inutiliter terere, sed vbique locorum sedulam nauare operam, discurrendo, hortando, conciones identidem habendo, vt militum sibi animos conciliarent. Quorum sibi iam propitiorum beneficio ad vacua Bargensium (i.e.) Senatorum Inferioris Confes-

suos in comitia promouenda.

sùs

sùs, loca sibi aditum quærunt. Municipiorum siquidem incolas in demortuorum vel expulsorum Senatorum vices, alios per liberã electionem sufficere volentes, adductis copijs & armata manu, per metum passim cogebant Exercitus Ductores, vel quos illi saltem probarent, calculis suis ad *Comitia* designare. Adeò vt breui spatio, multis istiusmodi in Parlamentum adscitis, & posthabito Decreto, tam Militaria quàm Ciuilia negotia & munera ijsdem manibus tractarentur. His etiam quasi optimè defunctis, vt popularis gratia, & secunda fama accederet, prelis conducititijs & scriptoribus dispositis res eorum omnes gestæ miris efferuntur Elogijs, Mercurijsque hebdomatim & triobolaribus Diarijs populo fabularum auido obtruduntur legen-

Eorùmque facinora ebuccinando.

da, *Cromuellij* laudes vndequaque personantibus ipsius asseclis.

Presbyterianos apertiùs aggrediuntur.

Cùm res Regias planè deploratas perciperent, & securam iam ex parte Comitiorum stare victoriam, in æmulæ Factionis, etiamnum prædominantis, Presbyterianæ scilicet, ruinam conuertunt animos, & horum palàm existimationem imminuere, virèsque paullatim labefactare conantur. Quod ex facili consequuntur, libellis in dedecus & ludibrium Disciplinæ ipsorum Ecclesiasticæ diuulgatis, contra Decimarum solutionem, Auaritiam, Fastum, & Seueritatem Presbyterianam (Concionatorum imprimis) debacchantes. Imò quò plus odij in horum capita conflarent, rigidas, populòque ingratas Reformationis partes, ipsis (plus satìs officios à solertia

Scripti in eorum dedecus euulgatis

solertia properantibus solitudinem & calamitatem passim inferre) demandant; cuiusmodi erant, Fœdere suo renitentes onerare, mulctas exigere, pecunijs emungere populum (& quod Posterorum quoque odia accenderet) Academias visitandi specie, doctissimos quosque in exilium amandare. Presbyterianis conciliabulis vbique se immiscent, vt, scrupulis & remoris iniectis, euanescerent in auras eorum placita, ipsique publicè deridendi propinarentur. Hoc magna ex parte iam præstito, vlteriùs moliuntur, dum conquisitis delictorum coloribus, *Præsidiorum* & *Munitionum* Præfecturas extorquent è manibus eorum, qui factioni Presbyterianæ nomen dederant; exercitus alios omnes, copiásque quibus in singulis ferè Prouincijs abundabant, exiguas licèt, exaucto-

Ipsòsque in officia populo ingrata protrudendo.

Conciliabulis eorum se immiscendo.

Ciuitatum præfecturas extorquendo.

Copiasque ijs addictiores exauctorando

rari curant, excepto cui præerat *Fairfaxius*. *Scotos* ex *Anglia* dimittunt; muneribus corruptos, vel minis perterrefactos Persbyterianorum primores in partes suas trahunt, vt vel palàm prævaricentur, vel clam, (dum tesseras vel nomina Presbyterianorum frontibus inscripta gerunt, & in arcana penetrent) non minùs securam quàm efficacem Independentibus operam nauent. Inter quos prima tenent subsellia duo potissimùm viri, *Skipponus*, & *Marshallus*; ille Majoris Generalis munus in Exercitu *Fairfaxiano* sustinens; hic Minister, & Presbyterianorum oraculum; vafer vterque, & in rem propriam attentior, sub moderandarum rerum & reconciliandarum partium prætextu, Presbyterianos ludendo, Independentium rationes haud parùm promouerunt, priuatis eadem opera

con-

Scotos dimittendo.

Antesignanos in partes suas trahendo.

consulentes vtilitatibus.

Victoria, & (quod maius est) *Rege* potitis Parlamentaris (vt paullò interruptam narrationis telam persequamur denuo) præsertim Presbyterianis, qui suffragiorum in Senatu numero hactenus pollebant, minore opus, *Exercitu* videbatur, ad publicos sumptus imminuendos, & periculum, quod eorum ceruicibus à militari potentia & factione Independentium palàm imminebat, auertendum. Hunc in finem diu disceptatum est, atque tandem statutum in *Comitijs*, duodecim millia in *Hiberniam* transmittenda, cæteros exauctorandos, præter sex millia Cataphractorum, mille aut circiter Sclopetariorum Equitum, necnon sex peditum millia, quos imperante *Fai-faxio*, in omnes Regni ditiones æqualiter distribuendos ordinarunt; eo con-

Reditur ad Historiæ telam prosequēdam.

Senatus, præualentibus etiamnū Presbyterianis, exercitum minuendum statuit.

filio, vt Tumultibus quaquauersus insurgentibus, in herba (quod aiunt) opprimendis essent in procinctu; nec ipsi in vnum conglobati rebus nouis studere possent.

Tumultuantur Milites clàm, plaudentibus Ductoribus.

Hinc verò tumultuari milites, ratiunculas in contrarium obtendere; ad speciem obiurgantium, (fluctibus componendis intermedios offerentibus sese Ductoribus Exercitus quamplurimis, clàm tamen animos addentibus, facèsque furori subministrantibus) tandem in seditionem prorumpere. Quod cùm ex voto successisse ijdem Ductores comperissent, personam deponunt) inter omnes primò *Cromuellius*, qui nuper in *Comitijs*, inuocato Dei nomine, pollicitus est *Exercitum ad arma præ pedibus iubentium Senatorum deponenda paratissimum*; quinetiam non ità pridem sanctissimè professus *conflagratū iri se potiùs*

Ductores personam deponūt; præsertim Cromuellius.

cum

cũ familia quàm milites tumultuarentur.) apertè militis gregarij partibus adhærent; centum plùs minùs Tribunos, Centuriones, locum tenentes, signiferos, & inferiores Officiarios, qui fidem Parlamento intemeratam seruare maluerant, officijs exuunt & ab Exercitu arcent.

Exauctoratis qui Parlamento adhærescerēt.

Hoc tam grande facinus aggressi sunt Factiosi, inauditorum priùs inter Milites Ductorum opera, quos *Agitatores* vocitabant: Hi gregarij milites erant, de singulis cohortibus Equitum, & legionibus peditum delecti, qui nomine militum concilia celebrarent, quid facto opus esset, decernerent; & emissarijs per omnes stationes & præsidia demandatis, cæteros edocerent. Tandem pro Autoritate, communia cùm melioris notæ Ductoribus in *Concilijs* loca occupantes, agebant,

Vsi sunt, ad Seditionem hanc concitandā, opera duum virorū ex quaque Legione selectorum, quos Agitatores vocitabant.

bant, nihilque frequentius in ore quàm populi libertatem & potentiam habentes, *Democratiæ* erigendæ ex professo nauarunt operam, *tertiæ familiæ* nomen dantes & Incunabula.

Qui Democratię ſtuuebant apertiùs.

Eò audaciæ provecti Militum Ductores, Regem è custodia in Castra abductum, ſpecie Libertatis Maioris, Officijs, & Pollicitis blandioribus promereri ſatagunt; deplorare ſortem ipſius uiſii qui à Subditis tantum nō u.vus ſepeliretur, & intra ſuam Baſilicam non aliter quàm in Ergaſtulo à Suorum omnium conſortio arceretur. *Profitentur* (quod ipſis omni Iuramento ſanctius) *nuquam ſe Arma poſituros, niſi pòſt Ipſi Sceptrum, Amicis æquiores Conditiones reſtitutas*. Sacellanorum aliquot liberos introitus, & Sacrorum vſum pro libitu permittunt. *Nuncij* quoque à *Regina*, & frequentes Epiſtolarum obſi-

Regi manus inijciunt.

Demulcent eum Promiſſis & blandimentis verborũ.

Indulgent multa Regi.

obſignatarum ad eandem à Rege commercium indulgetur. Mox *Regiæ proli* (vt ad ſuos ſaltem redijſſe, partèque Regni ſuauiſſima frui videretur Maieſtas Regia) Parentem inuiſendi, imò & vltro citròq; colludendi copia conceditur. Migrare pænè in Aulam Caſtra videbantur, dum ſerui neceſſarij ad Regem gratulabundi recurrunt, Aulicorum numero indies accreſcente. Nè verò minùs ſerio cum Rege agere de rebus componendis viderentur, *propoſita cudunt, quibus Regi Sibi ipſis, & Reipublicæ proſpectum eſſe iuxta æquum & bonum pre ſeferebant: quibus Rex ſi calculum adiecerit, operam illi ſuã pollicentur, qua reſtituatur è veſtigio ad regiæ* Maieſtatis culmen. Hæc poſtea, cum *Regi* oblata per ſuos Delegatos non ad modum arriſerint, emolliunt, & ad *Regiam* pænè *mentem* ac-

Propoſitiones effingunt, quibus Regi, ſibi ipſis, Reipublicæ conſultum volunt.

Eaſdem vlterius emolliunt, Regis gratia

commodasse videri volunt. Imò è famulitio Regio vni vel alteri permittitur (quoties ipsis adlibuerit) militaribus consilijs interesse.

In Declarationibus scis inuehitur in Parlamentum. Declarationes interea in publicum & Remonstrantias emittunt in dedecus & ludibrium Senatus, quem Auaritiæ, Philautias, Ambitionis, Iniustitiæ, Crudelitatis stigmate inurunt, stipendia debita postulantes. Perduellionis postulant plures Senatores. Vndecim Minorum Gentium, septem Maiorum Senatores consultissimos, & ex contraria factione, Perduellionis insimulant; friuolisque tandem contra exhibitis articulis, instant, vt *caussam dicant expulsi Comitijs*; petunt, imò iubent ad statum tempus præsentia Comitia (cuius vnius Comitia volunt abrogari. beneficij spe vniuersum populum sibi deuinciendum præuiderant) abrogari, aliaque in eorum locum succedere (quæ

solet miseris spes blandiri) æquiora.

Non est dissimulandum, utilia ipsos complura (vt Populo lenocinarentur) in medium protulisse; in quibus Regias Rationes semper promouebant non obliti Regis in gratiam aliquoties obliquè, nonnunquam etiam palàm perorare; idque vt in *integrum Rex, Regina, Sobolèsque Augusta restituantur, sine quo pacem solidam nequicquam sperandam clamitant*. Ità tamen plerunque Iudificantur adiectis conditionibus, aut verbis ambiguis, aut ab istis in posterum nodis extricare se possent, superatis) modò sors ferat) Presbyterianis.

Regias partes vsque age e præ se ferunt.

Sed verbis ambiguis.

Cùm tamen militaribus postulatis astipulari, nec è re sua, nec ex dignitate fore, statuerent Comitia, Exercitus inversa iam tessera pro Rege, pro Populo contra Parlamentum Signa

Aduersùs Parlamentum Signa mouent.

Signa mouent. Ex aduerso defensionem parant cum Londinensibus *Parlamentarij*, *Regèmque* pronunciant *Londinum* inuitandum.

Ex quo diffugiunt in Castra vtriusq; Senaculi Oratores, & nonnulli senatorum.

Adornata interim fuga, dilabuntur extra Ciuitatem vtriusque Senaculi Oratores cum quinquaginta circiter Senatoribus Independentibus, & ad castra trepidantes se recipiunt, clamantèsque vim se à Socijs, Ciuibus, & quibusdam exauctoratis Militibus passos, eandem armis vindicandam quiritantur; alijs interim, eiusdem furfuris, intra Senacula permanentibus, vt frigidam suffunderent, & consilia Presbyteriana perturbarent.

Ciuitas & Parlamentum defensionem parant.

Ciues, vsque febriculosos, (qui statim atque efferbuerint, algere incipiunt, & contremiscere) ex facili delinitos tenuerunt splendidæ sponsiones Exercitus de Rege restituendo (quod

(quod iam vnicè ſpirabant) Parlamēto abrogando, pace & æquitate publica inducenda. Ruſtici verò, qui in procinctu olim ad Ciuitatis Subſidia accurrere conſueuerant, infenſos iam erga Ciues iuxta ac Senatores gerebant animos, quippe qui primas Belli Ciuilis faces accenderint, nec dum reſtinguere parati, Paci iam iam redituræ portas claudere ſoli videbantur. Quid ſupererat, niſi vt diffluentibus vniuerſis, animos deſpondeant Parlamentarij? Officioſi per Ciuitatem & Exercitùs & Factionis eius aſſeclæ, pandunt portas, nec præmiſſis vllis articulis demiſſiſſimè ſe tradunt arbitrio Exercitus.

Deſpondent animos tamen & in Exercitus arbitrium ſe tradūt.

Hinc fugitiui ſtatim Senatores in relictas ſedes cum ſolennitate non exigua deducuntur, compluribus inter Presbyterianos dirabentibus ab vtroque *Senaculo*, alijs re ipsa præuaricantibus,

Fugitiui Oratores cum cæteris reſtituuntur ſedibus apud Senatum.

cantibus, & (vt fieri assolet) ad victrices partes deficientibus. Ex eo tempore, malorum, quæ patrarunt, retexitur historia in ijs quæ patiuntur. Nonnulla Parlamentari Membra *Prætor*, etiam *Vrbis* cũ præcipuis Senatoribus in turrem coniecti, luvnt nimiam illam pro salute Conciuium timiditatem & ignauiam, pristinàmque in Regem ferociam. Dynastæ septem uel octo è Domo Superiori, perdullionis accusati trudun-tur in carcerem. Deinde tamen paullatim deferuescente æmulationis æstu, & planè compresso, nec vlla aduersùs captiuos intentata probatione, dimittuntur, situ & squalore carceris aliquantùm macerati, quod alijs sufficere potuit ab ista obsistendi proteruia absterrendis.

Prætor Vrbis cum aliquot Senatoribus coijciuntur in Turrem, & postulantur Perduellionis.

Multi pariter & Dynastæ.

Dimittuntur in penè squalore carceris paullùm tracti.

Postquam gemina illa Regni propugnacula, Senatum Vrbèmque *Londinensem* domue-

runt

rat Exercitus) bis iam victor Sociorum & Hostium) nihil habet vltrà curandum , nisi , quod summo cum otio expedire licuit, vt potentiam , quam iam nacti erant , ratam sibi firmàmque redderent . Turri quamPrimum *Londinensi* Præfectus & præsidium apponitur ex Ciuium fæce, sed qui sese victrici factioni totos mancipando nobilitarant . Præfectus cum consueta custodia prior eijcitur, ob vnum hoc crimen , quod in Presbyterianos propensiori esse animo videretur . Delegati (penès quos erat totius Ciuitatis ordinandæ potestas) necnon Tribuni, Centuriones , Decurionèsque infimi , noui furfuris hominibus cedunt locum. Imò *Ciuitatis Suburbiòrùmque* militia dirimitur in diuersas partes , quò simultatis inter *Cives* & *Suburbanos* sparsis seminibus, & diuersos consessus occupantibus

Turri Londinensi nouus præponitur Præfectus.

Militia quoque Londinensis ordinatur nouo modo.

bus

bus *Delegatis*, in posterum difficilius forèt in vnum conuenire de conscribendo exercitu.

Munimenta diruuntur. Illud verò superuacaneum nonnemini videatur, cùm arma dudum atque animos posuerint Ciues, quod *Londinensis* præterea *Ciuitatis munimenta* diruerentur, prætextu pacis iam Regno restitutæ. Postea, postes & repagula per plateas disposita auferuntur, quò liberior in omnes angulos aditus reditùsque Equitatui pateret, nec vlla relinqueretur Ciuibus vel mulierculis recalcitrandi facultas.

Classi præficitur quidam Democraticus Militiæ totius Angliæ, vt & præsidijs Fairfaxius. Vt porrò terra marìque Dominatum stabilirent, Classi præficitur Tribunus quidam militum, præcipui nominis vir è *Democratica* Factione. *Fairfaxius summus Armorũ Imperator* (vulgò *Generalis*) non solùm Exercitus prædicti, sed & omnium vbique militum intra

tra *Angliam* & *Hiberniam*, (quò maturiùs posset & consultiùs *Hiberniæ* subleuandæ prospicere) constituitur. Exercitui gratiæ aguntur, etiam & in Templo à Concionatoribus; à Ciuibus quoque (quo solent modo lætitiam & gaudia exprimere, conuiuijs & luxu) eosdem iam opiparè excepturis, quos armis modò à mœnibus arcendos duxerant. Stipendia porrò in mensem ceu amoris indicia designantur, ob egregiam Parlamento nauatam operam.

Cra[tiæ] exercitui & decernuntur stipendia

Diu hinc indè acriter disputatum est, ex qua parte staret Senatus *Castrorumne an Comitiorum decreta essent refigenda*; cùm vtraque pro vario suffragantium numero per vices essent refixa Dubij, quonam potiùs exitu sese à laqueis istis expedirent, nè vel Comitia interrupta, vel illatam ijs vim, qua labefactatur eorum Autoritas,

Qua parte staret Senatus, in dubio est

ritas, aut transfugiendi ius (quod in Regijs Senatoribus damnarant olim) probare viderentur, vtrumque modò statuunt, modò alterutrum, modò neutrum. Statuunt vtcunque transfugarum recessum, & cum Exercitu coniunctionem, omnino comprobandam, ad Bonum Publicum spectasse, prout iure suo factum.

Fuga Senatorum comprobatur.

Quibus successibus elatos Ductores Exercitus, Factionisque Primores, magna deinceps & Suorum & Asseclarum & Commilitonum cepit obliuio. Parlamenti huius dissoluendi, alterius indicendi, pollicitationum etiam, quibus toties Regi & Populo imposuerant, nulla dehinc mentio. Priuata iam commoda procurare, & (quam iam frui sibi videbantur) Oligarchiam stabilire neruis omnibus contendunt.

Factiosi iam rerum potiti.

Regis obliuiscuntur.

Agitatores autem, omnèsque Demo-

Democratici, non minùs *Comitijs* hiſce abrogandis, nouìſque (quibus ſub nomine *Repræſentatiuæ circumſcriptæ poteſtas, & certæ diſſolutionis periodi* ſtatuerentur) per æquiora Populi ſuffragia ſuccenturiandis, vt & *Democratiæ* ſub inducendæ, remis velìſque incumbunt.

Oligarchiam eleáuri qu dam ex ipſis.

Democrat ain alij.

Ambæ verò familiæ, ſecuræ iam à Presbyterianis, ex æquo & Regi & Monarchiæ machinantur interitum. Hi clamant, Regem vel Iudicio ſiſtendum, vel per vim & clanculum è veſtigio tollendum. Illis conſultius videbatur, per fraudulentas ambages artificiosè rem agi; quod ità inſtituunt, vt ad Regem conditiones pacis perferantur; quibus ſi annuat, ipſe ſe Regno abdicaret; ſin abnuat, alienis foret ſuffragijs abdicandus; cotumax inſuper apud vulgus audiret, & prætextum

Oomnes par ter ,ufenſi resbyriaris Ariſto-craticis, e..a n .. Monarchiæ & Regi.

textum illis agitandi facinoris honeſtiorem exhiberet.

Propoſita tamen ad Regem, ſpecie pacis, reuera Occaſionis in eum quærendæ cauſa mittuntur.

Hoc nomine efficiunt apud Comitia, vt denuò Regi deferantur non conditiones vberiùs diſceptandæ, ſed *Propoſitiones* & tantùm non *Mandata*, ſatìs quidem pro Imperio dura, &, quibus conceſſis, ipſe ſe Corona exueret. Quibus, etiamſi Ductores Exercitus (*Cormuellius* imprimis) ſuffragia tuliſſent in Comitijs, nè tamen Rex aſtipularetur in Exercitu, ipſi Autores exſtitere; polliciti, ſe conditiones magìs æquas pro eo impetraturos, aut daturos etiam; eàſque tanquam è Presbyteriana ſeueritate profectas, deteſtari pluribus ſimulabant.

Reſponſum Regium.

Quo artificio deluſa Regia Maieſtas, reſpondet, Propoſitiones in ſe eſſe eiuſmodi, quibus nec ſalua Conſcientia nec Honore liceat ſubſcribere, nec

ſingulis

ſingulis in Regno Partibus conciliandis pacique reſtituendæ accommodas: prouocat potiùs ad Exercitus poſtulata, vtpote conditiones pacis omnibus molliores, & Colloquij (quod vt omnium ex votis cederet, quàm maximè expetit) Perſonalis, inter ipſum & Comitia, idoneum præcipuè argumentum; cuius rei ampliùs adijci ab Exercitu *D*elegatos poſtulat.

Gratulari plurimùm ſibi *Cromuellius* hoc Reſponſum videbatur, cæterìque Ductores Exercitus geſtire, (quaſi Regis iam calculo maior haberetur *Caſtris* Honor quàm *Comitijs*) Regìque viciſſim quælibet officia polliceri.

De quo videtur ſibi gratulari Cromuellius, aliìque.

Interea tamen aliorum adversùs Regem Senatorum animos exacerbare modis omnibus; contrà leniter pudorem ſimulare, quòd minus pactis & po-

Interim irritat alios.

pollicitis ſtarent, nunc Senatorum reuerentiam, nunc *Agitatorum* ferociam cauſſari; tandem labaſcere penitùs, apertè tergiuerſari, interpretari in contrarium promiſſa, incutere Regi metum ab Agitatoribus, Democraticìſque omnibus, qui ſi mortem ipſi violentam in tentarent, nec poſſe obſiſtere Ductores Exercitùs, iterùmque polliceri, modò periculo imminenti eriperet ſe Regia Maieſtas, in ordinem coactis Agitatoribus, ſine remora poſſe ſe fidem ſoluere.

Metum incutit Regi ab Agitatoribus.

Quibus permota Regia Maieſtas, (quum diffidere perniciosius eſſet quàm prodi) ſubducit ſe clanculum ab Exercitu (quò ſe fata ducebant ſua) in *Vectim Inſulam*, cui nuperum (vt huic ſcenæ inſeruiret) præficiebatur *Tribunus Hammond*, *Cromuellio* præcharus. Huius in patrocinium ſe tradit, ità ſeſe

Qui ſe breui ſubducit in Inſulam Vectim (locum ab Hoſtibus deſtinatum)

ſeſe ultro conijciens in caſſes, quas diu Olicarchiæ affectatores obtænderant. Exinde Reipublice deeſſe non ſuſtinens, miranti, quo confugiſſet, Senatui ſcribit Regia Majeſtas, Conceſſiones mittit præter ſpem omnium & multorum vota faciles, &nimium æquas, adiectis inſuper acerrimis Argumentis, cur ex omni parte Propoſitionibus à Comitijs ad eum nuper traſmiſſis conſenſum ſuum prębere minus potuerit Conceſſiones ſuas & Exetcitus poſtulata proponit Perſonali Tractatu ſeu Colloquio euentilanda, quod vehementer in Populi gratiam efflagitat, nihil non ſuo de iure remiſſu rus, quò poſſit quantouis pretio redimere Subdltorum quietem.

Rex indè ad Comitia properat ſcribere, Conceſſiounibus miſſis

Su per quas colloquium cum Parlamento poſcit.

Oligarchiæ Candidati, certi recrudeſcentem cum Rege pacem, quibuſcunqne poſſent obicibus & ſcrupulis interie-

ctis,

ctis, oppugnare. Hinc ansam arripiunt postulanti Regi Postulata quatuor opponendi, quasi in fidei pignus Prælargienda, quibus si Regia Maiestas annuerit, de cæteris se Tractatum pollicentur inituros.

Postulata quatuor erant huiusmodi:

I. Licitum esto Regni totius Militiam in posterum ordinare absque consensu Regio, quos placet Exercitus conscribere; prohibitis sub pœna Perduellionis omnibus alijs, ad numerum triginta hominum, absque Autoritate Comitiorum in vnum conuenire.

II. Fas Iusque esto, Comitijs considere, remouere Consessum in quemcunque locum, quocunque tempore, & pro arbitrio suo conuenire.

III. Cassa

III. Cassa habentor, & pronuciantor irrita, singula Iuramenta, Intedicta, Declarationes quæcunque, contra Comitiorum vtrumlibet consessum in Vulgus emissæ.

IV. Quoscunque Nobilium titulis auxerat Rex, ex quo disceßerat ipse, magnùmque Regni Sigillum subduxerat, ijdem Honoribus exuuntor. Ista omnia vti rata habeat, & in Leges transire iubeat Regia Maiestas, postulant; secus, res sibi suas habere iubent.

Delegati interim *Scotiæ* Regni, qui *Londini* tunc temporis agebant, Argumenta in scriptis sua contra hæc Postulata exhibent, & postea, cùm nihilominus ad *Regem* mitterentur, coram *Rege*, adhibita Protestatione, oppugnant, ceu *Religioni, Coronæ, Pactisque* Scotici Delegati sese opponunt. apud Parlamentum & apud Regem.

inter Angliæ & Scotiæ regna è diametro aduersantia.

Quo se verteret, aut vnde elaberetur, hisce angustijs constrictus Rex? Qui si postulatis annuat, suo se suffragio abdicaret Regno; sin abnuat, alienis erat suffragijs abdicandus; insuper contumaciæ notam, nec mitius fatum, apud Vulgus incurreret.

Non defuit Regi & Magnitudo animi, & mira prudentia; vnde ad hæc illico respondet: *Inter alias, quibuscum diu luctatus sum, difficultates, grauissima est, quia discrepantium studiorum omnium postulatis satis mihi iam facere incūbit. Quod ex eo palàm fit, quum eodem tempore quo Comitia Anglorū Propositiones mihi sanciendas miserint; Scotorum Commissarij in contrarium protestentur; vnde spes mihi omnis præ-*

Respondet Rex.

præciditur, rebus ità se habentibus, quod maximè in votis est me conse cuturum, nempe Pacē votis vnde quaque omniū accommodam. Quin & istud obstaculo est, quò minùs Comitiorum Postulatis à me vnquam satisfiat; quòd quum antiqua Legum ferendarū ratio fuerit, vel per consensum Regis Personalē in Domo Superiori adhibitum; vel per Diploma magno Angliæ sigillo à Rege communitum: Quorum illud impossibile mihi est, sub custodia agenti; hoc ipsis in posterum fraudi esse poterit; cum sigillo, Regiæ Maiestatis iniussu conflato, quæuis Concessio & Securitas innixa, labilis & infida prorsus foret. Ista etiam rata esse iubendo, memet ipsum & Successores meos non solùm omni principatu in perpetuū exuerem, sed & quæcunque grauamina per hanc tantam potestatē Parlamentariam in mancipata Subditorum meorū capita conglobari contigerit, mihi vitio verte-

rentur; quod quantum abhorreat à natiua Populi Libertate, officiòque eundem tutandi Regi concredito, cuiuis relinquo iudicandum. Rogo etiam, reputare secum Comitia non grauentur, quàm importunum sit, & rationi absonum, cùm Rex Colloquium expetat Personale, rerum ibi disceptandarum primaria capita velle præconcessa.

Hasce ob caussas, mihi videtur minimè consultum, quamlibet Propositionem sciscere, Legìsque vt sit loco, iubere, priusquam in Colloquio de omnibus conuenerit.

Quò me tamẽ impellũt paterna erga populum meum viscera, huius modi colloquiũ personale cõstanter & importunè rogo; defixis interea in cœlum oculis, vsque dum Parlamentum Deus inclinauerit ad rationes Pacis ineundas. Mihi autem sat futurum est solatij, quod quæcunq; pro officio tum Regis, tum viri Christiani incubuiße mihi duxi, eorundem nihil prætermiserim.

Hæc

Hæc cùm signata (sicuti erãt) ad Comitia transmittenda, Delegatis Comitiorum demandaverat *Rex*, resignari rogat Comes *Denbighanus* (Oligarchorum placitis mancipatus) quò certiores fierent Delegati, quid reportarent; prout Legatos deceret, non Tabelliones (quanquam & Ipsis, postulata ista Regi in scriptis tradendi, sola delegaretur potestas) interposita adhæc illorum fide, nè quicquam id Regi cederet in fraudem aut detrimentum.

Sed quamprimum, relegente Rege, quod eos vrebat Secretum resciuerunt, datam nihil morati fidem, arctiorem in custodiam, statim ac egressi sunt è Regia præsentia, monentibus his viris, *Rex* Optimus detruditur, omnes ab eo arcentur Serui, nouis exceptis hominibus, & inimicis, potiùs in ludibrium & satellititium, quàm

Rex detruditur in arctam custodiam.

quàm ſeruitia circumdiſpoſitis; nè quid literarum, vel chartaceæ laciniæ, vel internuncius clàm irreperet, aut à Regia Maieſtate tranſmitteretur, in omnes acceſſus, ad fores & feneſtras Cameræ appoſitis excubijs militaribus, inuigilatur.

Militum Ductores in Ordinem redigunt Agitatores.

Tandem, Reſponſo Regio in Comitijs perlecto, *Cromuellius*, *Iretonus*, *Aliìque Exercitus Anteſignani* & Oligarchiæ Affectatores (qui ſimul ac Regem terdiculis ſuis illaqueatum reſciuerant, Agitatores omnêſque Domocratię Aſſertores vno vel altero, ſub Militaris Diſciplinæ tutandæ ſpecie, traiecto plumbeis glandibus, aliiſque in carcerem coniectis, in ordinem redegerant) iam diu celatum pectoribus venenum proferre, palàm aduersùs Regem debacchari, conceptis verbis perorare, cæteros hortari Senatores

Palàm aduersùs Regem Comitijs debacchantur.

tores , & quatuor Interdicta machinari, quibus. Decreta rogant, obtinentque contra omne cũ Rege commercium.

I. Cautum est, Nullum in posterum ad Regem aditum Comitijs fore, aut commercium.

II. Nihil vltro citròque commercij mortalium cuiquam cum Rege fore , nisi impetrata priùs vtriusque Domus venia.

III. Nullum vicissim à Rege nuncium, nullam vnquam chartulam recipiendam.

IV. Proditionis pœna plectendum, qui contra fecerit.

Sed nec ista sine technis & fraude solita potuerunt assequi, nè quidem apud Inferiorem Comitiorum Cameram. Priusquã enim facta est huiusmodi seueritatis mentio quadraginta vel quinquaginta Primarij viri (quorum saltem pars maxima conatibus istis obstitisset) in proprias Prouincias amandantur , quasi ad nummos in stipendia militum exigendos , vt Sed surreptia in Senaculo Inferiori.

eò paucioribus ob horum abſentiam refragantibus, & conſpirante parte numeroſiori, res ex facili perficeretur. Nihilo tamen minùs, Primum iſtud perditiſſimorum hominum Placitum *De Rege eiurando*, à decima matutina ad ſeptimam vſque veſpertiam sùſque dèque diſceptatum, defatigatos priùs quàm preſuaſos ſuffragatores vix tandem comperiſſet, niſi ſpe à præcipuis Oligarchicis facta, nihil atrocius in Regem cudendum; Tria poſteriora (cùm diuerſum qui ſentirent, è Senaculo ad reficiendum ſpiritum ſeſe ſubduxiſſent) horæ dimidiæ ſpatio, pauci, ex compoſito locis ſuis inſidentes, ſanxerunt.

Per vim & minas in Superiori.

Cæterùm ægriùs in hanc ſententiam perducta eſt *Camera Superior*, ibi ſiquidem per dies complures protrahebatur Diſſertatio, donec aduentantes ab Exercitu

Exercitu Delegati gratias egerunt, Exercitus nomine, Senaculo Inferiori, quòd Decreta illa sanxissent, in eorum defensionem, paratissimos se professi; minas ijdem intentant *Proceribus*, nisi suis calculis descendant in *Plebiscita*; paullòque pòst cunctabundos impellunt Legionibus duabus in Palatia Regia Senaculis finitima (sub specie Custodiæ Senatorum, reuera in terrorem dissentientium Dynastarum) immissis; quibus permoti Proceres (dilabentibus multis) Plebiscito sua adijciunt suffragia. Hisce tam salutaribus vniuerso Regno decretis applaudunt etiam apud Proceres missi de industria *Delegati Militares*, qui in se porrò totius Exercitus nomine sanctissimè recipiunt, *Omnia se Iura & Priuilegia Cameræ Superioris defensuros.*

Cromuellius sese à perfidia purgat.

Cromuellius interim, vt perfidæ præuaricationi speciosum aliquod velum prætexeret, nonnullis narrat, se animum induxisse Regem in solium & auitam Maiestatem efferre, necnon in Reipublicę vtilitatem fore credidisse, & hoc nomine sępius Supremum Numen precibus sollicitasse, vt dirigeret conatus in hunc scopum: aliquando autem medijs in precibus vocem sibi faucibus hęsisse, nec verbulum ampliùs potuisse eloqui, idque se responsi loco à Deo accepisse, indèque Regem ceu reprobum habuisse, de quo nihil boni potuit sperari: alijs autem licere fallacem & improbum (qualem Regem esse volunt) fallacijs & improbis artibus circumuenire, rotundè profitetur.

Declarationem emittunt.

Posthæc *Declaratio* cuditur, qua (nomine Senaculi Inferioris)

ris) caussas exponunt Oligarchiæ Candidati, quibus permoti Decreta sanxerint ista, de Rege neutiquam compellando. Huic inserciunt quascunque possunt Calumnias contra Regem ex inimicissimis expiscari, aut rumoribus incertis (& quos ipsi suscitarant) coniectare. Quicquid vel paterno vel proprio sub Regimine, per Aulicos, Seruos, Ministros, per Iudices Regni, seu per Iustitiæ Curias commissum fuerat, id omne Regi imputatur; imò vel ipsa infortunia, seu potiùs Iudicia Diuina, Criminum loco obijcere non verentur, quamuis intra Comitiorum parietes iam priùs constaret, res hasce nulla cum veritatis vmbra, odij tantummodo maioris creandi caussa, exaggerari.

Cui quascunque possunt calumnias adversùs Regem inserciunt.

Libellum hunc infamem in omnes Regni parochias transmittendum

Iubent in omnibus parochijs.

Concionatores, vt eandem publice legant.

mittendum curant, securi nimirium, respondendi periculum subire ausurum neminem, vel posse (prelis vndique obseruatis) responsum emittere. Ministris Ecclesiarum imperant, idem populo in templis obtrudere, verbisque, quo ad poterint, ornare. Quo autem lubentiùs operam illis suā locarent, sub idem tempus, Decimas continuandas esse, Reditusque Decanorum in Concionatores deriuando, non sine simulata Religionis fouendæ solicitudine, Senaculo in Inferiori decretum est; quin & Eirenarchæ passim iubentur, vt in Decimarum persolutionem renitentes adigant. Per Emissarios simul & Milites vndique dispersos, per Catabaptistas Schismaticos & Hæreticos (qui rerum suarum diligentissimi sategerunt) populum sperabant excitatum iri, vt gratulatorijs

Eòsque promissis lactant.

Per Emissarios Petitiones gratulatorias à Populo extorquere nituntur.

torijs

latorijs Petitionibus factum illud Comitiorum approbarent, & sæuius aliquod exposcerent in Regem supplicium.

Purgatur Maiestas Regia multis Apologeticis.

E contrario tamen euenit. Tres etenim ad minimum *Apologiæ* breui prodeunt, quibus luculentissimè purgabatur à conuitijs Regia Maiestas; Criminationes vnà retorquentur, scelerùmque factio ipsa probatur conscia, quæ falsò Regi imputarat; idque tanta luce, vt nemo vel mutire contrà potuerit. Concionatores frigidè obsequuntur mandatis. Petitiones duæ tantùm vel tres gratulatoriæ, eæque paucis & obscuris manibus consignatæ, per omnem factionis huius solertiam eliciuntur. Fremere verò totus populus, indignari, præuaricationis & imposturæ *Independentes* omnes, præcipuè milites insimulare, hisce omnia dira imprecari, postea Petitiones

Concionatores frigidè mandata exequuntur.

Paucissimi gratulantur.

Totus populus fremit, indignatur.

Petitum veniunt pro Colloquio cum Rege instituendo.

ones ex plurimis Prouincijs (ijsdem quæ semper steterant, à partibus Parlamentarijs) quibus vehementer exposcitur, vt Tractatus cum Rege Personalis instauretur, stipendiis persolutis Exercitus exauctoretur, *Hiberniæ* interim demittantur subsidia, liberentur ipsi ab Oppressionibus, & in alendo milite asymbolo impensis, quibus vltrà sustinendis impares erant.

Frustrà renitentibus Parlamentariis.

Eò tandem deuentum est, vt huiusmodi supplices libelli complures, innumeris hominum subscriptionibus comprobati, renitentem Senatum penè obruerint; frustrà per singulos Comitatus Militum Ductoribus, Commissarijs Parlamentarijs (qui se iam propè omnes in victricis Factionis clientelam dederant) Factionisque asseclis, per *Sequestri*, per *Carceris*, & *Mortis* minas, per blanditias, aureásque pollicitationes,

citationes, vt os obstruerent, pro virili incumbentibus. Neque hic fugere nos inobseruati debent siue diuinæ vindictæ, siue popularis turbæ reciproci motus, dum eadem illa *Comitia*, à quibus primi supplicum Tumultus aduersùs Regem emanarant, ipsa iam spontaneo supplicum tumultu periclitari conqueruntur Senatoriam dignitatem iuxta & salutem.

Essexienses primò.

Primi supplicantium agmen ducunt *Essexienses*, inusitato prorsus ante hæc tempora numero, qui quos exoratos velint, possent in vota cogere. Sequuntur *Surrienses*, quos inermes leui arrepta occasione, Milites malè mulctant, propè Senaculi fores, fugant, multos occìdunt, longè plures vulnerant, omnes deprædantur; idque nutu *Senatorum* & *Ductorum* iussu, Imò tam inauditi sceleris nomine, gratiæ à *Domus*

Deinde & urrienses. Quos malè mulctant Milites.

Inferioris

Inferioris *Oratore* grassantibus aguntur, & munera decernuntur.

Sed ista tyrannide, qua Populi sub onere gementis comprimerent querimonias, nihil ampliùs proficiunt, nisi vt frequentiori numero, irritatæ Prouinciæ petitum accederent. Quæ cùm nihilo plus remedij à Comitijs (frigido eludentibus responso) quàm ab inanibus querimonijs retulerint, à precibus ad Arma confugiunt. In vexillis vnà denuo perferunt (quæ pridem malè cohærere credidit elusum vulgus) Regis & Populi Libertatem, *Cantiani*, *Essexienses*, *Suffolcienses*, *Cornubienses*, *Norfolcienses*, & etiam *Valli*, plures *Australes*, aliqui *Boreales*, *Surrenses* tandem acriori vindictæ cupidine, Proceribus multis detecta priùs coniuratione, quam *Londini* clàm inierant,

cum

cum ijs præmaturè se coniungentibus.

Deficiunt eodem erga Regem commiserationis æstu delati Nautæ, necnon septemdecim ples minùs naues in Principis [CAROLI iam IIdi] subsidium transeunt, exposito in littore Parlamentario Thalassiarcha *Rainsboro.*

Classis deficit à Parlamento.

Scoti etiam Regi turpiter captiuo, in libertatem & dignitatem Regiam asserendo arma expediunt, idque sui Decreto Parlamenti irrumpunt in Boreales plagas exercitu numeroso, sub auspicijs *Hamiltonij*, sed solito seu Regis, seu ipsius *Hamiltonij* infortunio. Quoniam verò fato fieri dicam, seu potiùs decreto diuino, quòd seperatim alij post alios, & ex interuallo Hostes adoriantur, quasi respirandi spatium, reficiendìque illis vires indulgerent; adeò vt res esset perexiguæ mo-

Scoti etiam liberand Regis gratiâ inuadunt.

Ab Exercitu tamen superantur Angli.

lis,

lis, Exercitui veterano, impedimentis bellicis, & omni commeatu instructo, in quamcunque expeditionem, sub Imperio consultissimorum Ductorum, paratissimo, tumultuarios colonos potiùs quàm milites, armìsque & necessiarijs in bellum & plerunque Ducibus destitutos, dum alij post alios in aciem descendunt, opprimere & in fugam conijcere.

Colonia tamen (vulgò *Colcestria*) Essexiensium, & *Penbrochia* Vallorum (quamuìs illa obsidioni ferendæ imparata) non parùm negotij facessunt inimicis.

& Scoti *Scoti* Ductorum inscitia & ignauia, vel (quod suspicari nollem) perfidia, qui permisere agmina sui Exercitus in quadraginta lapidum distantiam separari, à *Cormuellio* nullo cum negotio funduntur, qui me

dium

dium agmen inopinatò aggressus in fugam vertit, terrore in omnes procul palantes disseminato, multis cæsis, captìsque, inter quos *Hamiltonio* Duce, cæteros in *Scotiam* vsque persequitur; vbi *Argathelius*, collectis copijs, non minùs domesticus occurrit hostis, quàm *Cormuellius* extraneus, in eàsque breui redigit angustias, vt Exercitus, qui conscribebatur Parlamenti auspicijs, arma deponeret, eiùsque Factionis sese permitteret arbitrijs; vnde denouo Parlamentum indicitur, exclusis omnibus qui arma induerant, vel de bello Regis gratia ineundo suffragia tulerant: ibi nouissimi Parlamenti placita rescinduntur, bellum iniustè susceptum esse pronunciatur, *Cormuellio* publicæ gratiæ aguntur; & priuatum (vt *Cormuelius* ipse gloriatur) pactum iniuit *Argathelius* sese Oli garcho-

garchorum Anglorum commodis velificaturum, nec minùs è *Scotia* (cùm rerum ferret opportunitas) quàm ex *Anglia* Monarchiam exterminaturum.

Nauigia quædam defectionem à Principe parant, rebus mari & in Terra gestis.

Nauigia adhæc plura, refluentè æstu, defectionem à Principe parant, pro innata Nautis leuitate, Comitis *Varuicensis* patrocinium suspirantibus, qui Nautas crebris sibi largitionibus demeruerat, nouæque Classi ad alliciendos iterum in obsequia Parlamentaria Nautas præficiebatur; sed circumseptus Oligarchorum exploratoribus, & opera defunctus, solitam conductitiorum omnium mercedem non immeritò retulit, nimirum vt loco cederet atque dimitteretur.

Senatores interea de Pace consilium ineunt.

Dum ista geruntur ab Exercitu bella, Senatores in Comitijs, iam procul agentis Exercitus, necnon *Cormuellij* iugo liberi, serióque apud se repu-

tantes

tantes, quàm ægrè totius Regni Populus illatas Regi iniurias pateretur, quàm lubrico in loco res suæ starent, Pacis conciliandæ satagunt; & serò cum Phrygibus sapientes contra *Oligarchorum* sententiam) *Decreta de Rege neutiquam adeundo* rescindunt, iunctis vtriusque Senaculi calculis; *Colloquium cum Rege de componendis litibus suscipiendum statuunt*; sed per Delegatos ìdque in Insula *Vecti*. Delegantur in hoc munus Proceres ex Camera Superiori quinque, ex Inferiori præcipuę existimationis decem Municipiarij. Prępositiones Colloquio isto disceptandæ pręscribuntur, quas omnes verbatim proferri, quam vìs prętereoperis institutum, fortè Lector non indignabitur.

Rescindunt Decreta de Rege non conueniendo.

Colloquium cum Rege per Delegatos e instituendum statuunt.

Quoniam

Materia Colloquij.

Quoniam vtrique Parlamenti Confessui incubuerit ad iustam sui defensionem Belli capessiendi necessitas & huic prosequendo se Sacramento obstrinxerint, Rege iubente, sanciatur.

Propositio Prima.

I. QVò Declarationes & Proclamationes omnino omnes aduersùs Parlamenti Cameras, vel quotquot ijs adhæserint, omniàque Iudicia, Postulationes, &c. contra eos pro irritis habeantur, & pronuncientur.

Secunda.

II. Statutum fiat Iussu Regio, de abolendis omnibus Archi-Episcopis, & Episcopis ex Ecclesiis Angliæ & Hiberniæ, de fundis eorundem & reditibus diuendendis; vtì etiam comprobetur Assensu Regio Theologorum Conuocatio & Confessus Synodicus, Reformatio

formatio Religionis per Angliam & Hiberniam, ad eum modulum quo decreuerunt vel decreuerint Parlamẽti Senatores, habito priùs cum Theologis prædictis consilio. In particulari, Regia Maiestas adhibeat consensum, vt in Statutum seu Legem dehinc migret Decretum vtriusque Domus Parlamenti de Directorio priùs factum, quo ad cultum diuinum publicè per Angliam & Hiberniam celebrandum, de abroganda veteri Liturgia, de Regiminis Ecclesiastici formula, & Religionis Articulis, cùm Catechismis, minore maioréque, de Die Dominico religiosiùs obseruando, de supprimendis innouationibus in Templis & Fanis, de Concionatoribus publicis iusta mercede ad officium animandis, de Pluralitate Beneficiorum, & non-Residentia viris Ecclesiasticis prohibenda; vtì Regia Maiestas manum apponat Fœderi Nationali, eodémque se ipsum obstringi patiatur;

atur; vt etiam publico Edicto imperetur Subditis omnibus utriusq; Regni, Angliæ & Scotiæ, eodem obstrigendis, sub pœna ad vtriusque Cameræ placitum irroganda: vti Statuto intersit Parlamenti Domorum, Vniuersitates Oxoniæ, & Cantabrigiæ, Collegia quoque Vestmonasteriense, Vintoniense, & Ætonense visitare & reformare. Statutis caueatur, nè Iesuitæ, Sacerdotes & Pontificij Rempublicam perturbent, Leges eludant, vt & istis huiusmodi criterio interno scendis Sacramentũ administraretur, quo Pontificis Romani Suprematum abiurent, Transsubstantiationem, Purgatorium; Cultum Imaginum, Errorésque, alios Ecclesiæ Romanæ superstitiosos; prospiciatur de educandis Pontificiorum liberis in fide & Religione Protestantium; de mulctis in Pontificios irrogandis eorùmq; fructu pro arbitrio vtriusque Domus collocanda. Prouisum etiam esto, de

conatibus

conatibus Pontificiorum aduersus Rempublicam reprimendis, Legibùsque in illos absque fraude exequendis, & Missæ administratione & frequentatione s sive in Aula, seu qnocumque in loco, intra Angliam & Hiberniam, distinctiùs interdicendà.

III. *Penès Domos Parlamenti solas, Terrestris simul & Navalis Militiæ per Angliam & Hiberniam potestas resideat, Integrum ipsis esto, conscribere, exercere, quot placet; ducere quò libet, milites, irrogare quas visum fuerit pecunias in horum stipendia, unde Tribunalibus intestinis obviã eant, exterorùmque invasionibus; nec Rex aut eius Successores quicquam in istis sibi juris vindicabunt, per spatium viginti annorum: quibus, emensis; si Proceribus, & Plebeijs vtriusque Consessus Parlamẽti, interesse videbitur salutis Reipublicæ, ut conscribatur Exercitus aut Naualis, aut Terrestris, & sti-* Tertia.

H pendia

pendia hisce solvantur, idèmque Autoritate suà sanciant, decretum illud vigorem Legis aut statuti sortiatur, etiam Rege reclamante.

Si homines qualescunque ad numerum trigesimum convenerint armati, neque Procerum, & Plebeiorũ jussu deposuerint arma, Perduellionis rei habentor, citra spem omnem veniæ abs Rege impetrandæ.

Hisces Auctari loco, accesserunt Provisiones nonnullæ de Civitatis *Londinensis* Privilegijs, & Potestate ordinariâ Ministrorum Iustitiæ in sententiis lati exequendis.

Quarta. IV. *Statuto, Cessatio Hibernica, Tractatúsque ibi omnes & Articuli sine consensu Parlamenti facti: rescindatur. Belli Hibernici prosequendi Ius ab vtriusque Domùs arbitrio pendeat; Pro-Rex omnèsque sive Bellici sive Civilis Regiminis Administri à Parlamenti Cameris designentur; Hiberniæ Cancellarius, Magni sigilli Custos, Thesaurarius, omnes Regni*

Offi-

Officiarij, Iudices omnes, cassis muneribus, officijs, Honorum titulis, fundorùmque donationibus, à Rege concessis, ab eo tempore, quo pacta Ceßatio erat.

V. *Comitia Parlamentaria pecunias irrogent, quascunque libuerit, in publicorum persolutionem debitorum, damnorùmque; & in alias quascunque publicas vtilitates, vt ipsis in posterum opus videbitur.* Quinta.

VI. *Honores omnes & tituli à Vigesimo primo* Maii, Anno Christi Domini *Millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo* (quo nimirum tempore Magni Sigilli Custos Sigillum unà secũ subduxerat ab Ædibus Parlamẽtariis) *denuncientur irriti. Nemo etiam in Dynastarum ordinẽ deinceps cooptatus, sedem in Camera Procerum, absque consensu vtriusque Domus occupabit.* Sexta.

V I I. *In prima Delinquentium classe censeantur* (sic enim Septima.

perstringebantur Omnes, qui vel Regijs partibus adhæserant vel Comitiorum iras quoquo pacto concitàrant) *quibus nulla condonationis relicta spes sit, sed Vitis, Fortunisque omnibus exuẽdi, Rege adstipulante, sunto, Principes Palatini,* Rupertus;*&* Mauritius; *Comites tres, Barones quinque; Episcopi duo, totidem & Regni Iudices, viginti duo circiter Equites* (quorum recensere nomina compendii ratio vix patitur) *ij tamen ferè erant, qui Regi sedulam maximè navassent operam; adjectis & Pontificijs omnibus, qui arma sumserant; nominatim, Marchione Vuintoniensi, cum duobus Comitibus, totidẽ Baronibus, & sex Equitibus, ut & omnes, qui Rebellionem Hibernicam, vel excitàrunt vel foverũt,*

In secunda Classe repositi quinquaginta Nobiles, & Equites, Senatores omnes Cameræ Inferioris, qui, desertis Comitijs, in Regias

partes transierant; Iudices insuper omnes, Iuris-Consulti, Ecclesiastici, exulent ab Aula Regia, publicisque ab Officijs abstineant, idque paruâ Perduellionis, Vitarum, & Fortunarum jacturæ, Iudices, & Iuris-Consulti proscribantur foro & praxi suâ Ecclesiasticis Beneficijs, & concionandi copiâ interdicantur.

Tertiam implent Classem, qui quicquam contra Parlamētum admiserant, vel consilium dederant, quorum nullus vel Eirnarchæ, vel Iudicis, vel Vice-Comitis, vel Administri publici munus in futurum assequatur.

Quartæ annumerantur Milites gregarij, omnesque comatis vilioris homunciones, quibus libris ducentis angustior fortuna est.

Fundi, eorùmque bona omnia, qui è prima Classe sunt, ad æs publicum numerādum sub actione venean, Senatorum autem, qui Novis Oxoniæ positis Comitijs,

Vvestmonasterio adhærescētes Perduellionis reos pronunciarant, duæ fundorum Bonorùmque partes ex tribus; Aliorum dimidia pars; Iudicum Iuris-Consultorum, & Ecclesiasticorum tertia, sextàque omnium è tertia Classe in prædictos solutiones veneant. Impunè cæteri dimittantur, modò Sacramēto sese Nationali obstrinxerint. Omnes in secunda tertiaque Classe, post solutionem mulctarum, veniâ utriusque Domûs impetratâ & cōcessa, in integrum restituantur.

Octaua. VIII. *Uti omnia Regni munia, & præcipui Magistratus per viginti annos proximè sequentes conferantur, constituantùrque ex arbitrio Senaculi vtriùsque.*

Nona. IX. *Uti Sigillum nouum; Comitijs, jubentibus efformatum, sanctiore Regiâ transeat in genuinum Angliæ sigillum, nec ullum alium deinceps usui habeatur: Omnes Concessiones, muniti, & novo hoc signata rata maneant, cassis omnibus*

nibus irritisque, quæ sub veteri, quod penès Regem erat) *ab eo tempore; quo illud ex Comitijs primùm subduxerat Custos Sigilli Baro* Littletonius, *concessa sunt.*

X. *Omnia Priuilegia, Concessiones, Chartæ, & Immunitates Ciuitatis Londinensis, iteratis Institutis corroborentur; Turris Londinensis & Militiæ juxta Prætoris Urbani, Senatorum, & Concilij ibidem Communis arbitrium ordinentur, Nemo Civium extra Ciuitatis pomaria in Militiam adigatur, nisi jubentibus Comitijs, &c.* Decima.

XI. Et ultima hæc erat: *Exterminetur Pupillorum Curia cũ omnibus Officijs & Muneribus eò spectantibus; cessent etiam Omnia seruitia eius nomine irrogata, Hæreditatibus omnibus* (quę priùs in Capite, &c. equestri scilicet servitio à Rege per Possessores occupabantur) *ab oneribus sumptibusque liberatis, quinquaginta* undecima, & vltima.

tamen millibus Regi annuatim in Compensationem persolutis.

Hæ erant Pacis Conditiones à *Comitiis* propositæ, in argumentum seu materiam redintegrandi *Colloquii*, adeò vehementer & votis omnium & complurium armis expetiti; nihil ab iis immutatæ, quæ *Regi* pridem missæ, dum adhuc in *Hamptoniensi* Basilica commorabatur, non ab ipso Rege solo, sed & ab Exercitu quoque, utpotè paullò iniquiores, repudiatæ sunt, In hoc uno dissonæ, quòd in hisce nouissimis, nulla habita sit *Scotorum* ratio.

Nulla in hisce habita ratio Scotorum.

Pacificatores autem non alià donantur, quàm ad Regia argumenta respondendi autoritate, rationèsque retorquendi ad Regium Assensum expugnandum. Nulla illis *Propositionem* ullam emolliendi, vel unam immutandi voculam, imò

Quibus Conditionibus adstringuntur Delegati Pacificatorij.

nè *præfationem* prætereundi potestas. Iubentur autem identidem admonere Comitia de Concessionibus Regijs, totiúsque negotij de processu: omnia scriptis agere, imò & eodem ordine de Propositionibus disceptare, ad aliam Propositionem non discendendo priusquam de præcedente convenerit.

Nec satis erat, Conditiones & Delegatos tam duris circumscribi Legibus, locum ipsum *Colloquii* ad *Neoportum* intra Insulam *Vectim*, atque tempus adhuc arctiùs definiunt intra quadragesimum diem. Colloquium Neoporti instituendum.

Regi etenim ad Colloquium euocato libertas hactenus indulgetur exeundi è carcere in Custodiam Insulæ spatiosiorem; sponsione etiam interpositá, nusquam se ex Insulâ excessurum per quadraginta ab elapso Tractatu dies. *Servi*

Regi conceduntur Ministeria Seruorum necessaria.

sed ii ferè ad Regis Ministeria aut Consilia necessarii accersuntur, idque nominatim, & magnâ cautione à Comitiis adhibita; *Consiliarii*, *Theologi*, cum *Secretario*, non in scenam tamen aut ad alloquium intromittendi, sed post aulæum & in proscœnio astaturi; adeò ut unus, unicùsque Rex Politicum se opponeret & Theologum selectissimis totius Regni Politicis & Theologis Parlamentarijs.

Mira Regis in Colloquio prudentia.

In Colloquio peragendo, tam incredibili prudenria & dicendi vi, rationum omnium momenta *Rex* solus eventilavit, repulitque, tantâ largiendi, & condonandi lenitate, etiam quæ iniquiora redarguerat Postulata, modò nec *honorem* labefactarent, neque *conscientiam*, concessit, ut omnes in admirationem raperet, quòdque divini planè ingenii fuit, vel inimicissimos

ciſſimos in ſententiam ſuam invitos pertraheret, quamvis ex officio, & Capitis diſcrimine teneretur, refragante Conſcientiâ, diſputationem producere: Certè paternâm Benignitatem, quâ ſuis unius damnis à Belli cladibus Populum redimeret, luculentiſſimè oſtentavit.

Diù fervet circa res componendas Colloquium, cùm ecce *Comitiis* innoteſcit, *Marchionem Ormundii* in Hiberniam appuliſſe, inſtructum Autoritate Regiâ, quâ *Deputati* titulo inſignitus toti Hiberniæ præeſſet, Pacemque firmaret cõmunem Cõditionibus, quibus poſſet, Optimis; Exercitum quoque conſcriberet, ad Regem è captivitate liberandum. Mittũtur ſuper hac re literę ad Delegatos in Inſula *Vecti*, juſſos à Rege poſtulare, ut Diploma repoſceret *Ormundianum*, eiuſque Auto-

In medio Tractatu Senatores ponſcunt, vt Ormũdii Diploma Reſcindatur.

Autoritatem Pacificantibus nimis molestam abdicaret.

In Senatu carpunt Regis responsa.

Interea ad Senatum translata negotia frustulatim referuntur; ubi plures non minus averso, quàm Rex propenso ad Pacem animo carpunt & minutatim arrodunt omnia, nisi suis terminis & ad præscriptam formulam annueretur; veriti nimirum (quod & palàm professi sunt ex iis nonnulli) nè voti compotes reddendo, nullum amplius inimicitiæ, aut querelæ locum relinqueret. Rex enim pluribus præter omniũ opinionem adstipulatus, non modò rem ipsam, sed etiam verborum scrupulos admisit.

Rex inexpectatò plurima concedit.

Præfationi, non tam ad Pacem spectanti publicam, quàm ad Ignominiam sibi suisque inurendam, ægrè & nonnisi præmissà cautione consensit. hàc scilicet, *Nè quid in ista Dixta pro concesso haberetur, nisi ubi*

ubi de Cunctis in universum conveniret.

Annuit *Propositioni primæ*, de Declarationibus revocandis: *Tertiæ*, de Militia: *Quartæ* de Hiberniæ Administratione: *Quintæ*, de Publicis Solutionibus (modò intra biennium revocētur ad calculum ista debita:) *Sextæ*, de Honorum titulis abrogandis: *Octauæ*, de supremis regni Magistratibus; *Nonæ*, de Sigillo Magno: *Decimæ*, de Londini Priuilegiis: *Undecimæ*, de Curia Pupillorum, modò Compensationis nomine centena librarum millia annuatim penderentur.

In istis omnibus, Aliorum Avaritiæ & Ambitioni facilem se prædam exhibuit; & dum Regnum aliis pacatius redderet, suis manibus eripi permisit.

Secundæ Propositionis Articulis omnibus Assensum præbuit

buit, excepto unico de Episcopis, eorumque red.tibus. in isto tamen non defuit omnino Comitiorum votis. Quicquid enim à Divino Instituto non planè promanasse constaret, penitus abrogari patitur. adeòque Archi-Episcopatum intercidere; Episcopalem etiam Iurisdictionem, *i. e.* Disciplinæ seu Regiminis Ecclesiastici exercendi dignitatem; non item vim Ordinatricem, in ordinandi Diaconos & Presbyteros jure positam, utpote Apostolicam, labefactari sinit.

Tandem verò (intorquentibus, inter alia, quæ meliùs refutare potuit, argumenta, Necessitatis telum Synodi Magistellis & Pacificatoribus; necnon, in alijs ipsi cessuros Senatores, modò in hac re de rigore conscientię remitteret, spe factà) Ordinandi munus per triennium haud exercēdum ab

Episco-

Episcopis absque Presbyteratûs assensu, imò suspendendum, indulget; donec, viginti Theologis à seipso delectis, cum Synodo, Comitiorum jussu concita, consilium habituris, certi aliquid de Regimine Ecclesiastico constitueretur, Cui cum Senatu consentire promisit; interea temporis Presbyteratum experimenti gratiâ ratum esse, haud reluctatur.

Fundos & Reditus *Episcoporum*. Sacrilegij horrore perterrefactus, dividendi, & ab Ecclesia abalienari non passus est: *elocari* tamen *in nonaginta novē annos, parvo pretio annuatim, in Hæredirarii juris testimonium, & in Episcoporum alimoniam persoluendo* permisit; modò, post finitum hunc terminum, *ad Ius Coronæ reuerterentur*, in Ecclesiæ vsum erogandi; certò interim apud se statuens, propriis Redi-

Reditibus redemtos in Ecclesiasticos vsus effundere.

Septimam de Delinquentibus Propositionem, proprijs in periculis haud immemor Amicorum, subscriptione suà confirmare nequiit. Permittit autem, ut

I. *Moderatæ Pecuniarum mulctæ bis irrogentur*,

II. *Prohibeantur ab Accessu Regio, Aulàque; etiam ut horum quidam Regno exulet, non tamen sub nota Perduellionis, nec jactura Vitæ & Possessionum plectãtur, sed mulctâ pecuniariâ constituenda, si contra fecerint*.

III. *Iure assistendi in Comitiis Parlamentariis per triennium ut priventur*.

IV. *Iudicio sistantur, si ita visum sit: & si quid admiserint contra latas Angliæ Leges* (quas Regiis favere pro comperto erat) *pro merito luant*. Iniquum existi-

existimabat plecti quempiam propter fidem sibi præstitam, etiam & secundùm Conscientię Iurìsque Municipalis dictamina, per Legem ex pòst-facto. Alios tamen ejusdem Propositionis Articulos concedere placuit, eà Lege, si nimirum Ecclesiasticis probis, doctis; & Scandalo liberis, tertià parte Beneficiorum frui liceret, nec hi concionandi munere penitùs abdicarentur.

Autoritatem *Ormundio* eo ipso cùm custodiæ traditus esset, temporis Articulo demandatam, abrogare nequit, nisi in alijs sibi cum Comitiis convenerit; hoc si fieret, tum (juxta Concessiones ad quartam Propositionem) Comitiorum pro arbitrio solùm res Hibernicas administrari placebit. Interea tamen lìtteras *Ormundio* scribit, in quibus jubet, nè quid in ea potestate exsequenda moliatur,

quamdiu Diæta, & spes vlla Pacis superesset.

Durante Colloquio (nè iniquas continuò vices Majestas Regia sustineret, insuper ut quo erga illum affecti animo essent Senatores, pertentaret) Rex proposita æqua satis, & Publico profutura, Comitiis transmittenda exhibet.

Quædam tandem Rex ipse proponit

Primò postulat, *ut Londini, vel alio quocunque in Palatio proprio versari sibi liberum sit, propriùsque cum ipsis Comitiis agere, idque liberè, honorificè, & securè ut fiat.* Quod Postulatum, concessis Propositionibus, indulgendum ipsi fore, Comitia in se recipiunt, sed Civium priùs animis pertentatis, & pænè omnium (sanè Optimorum & longè plurium) subscriptis manibus animata.

Quibus magna ex parte Comitia assentiunt

Secundò Rex postulat, *uti Reditus omnes recipiat, & Emolumenta Coronæ.*

Tertiò

Tertiò, ut *Compensationē referat pro legitimis Iuribus, quæ Parlamēto visum fuerit abrogare.* Hisce itidē Comitia haud gravatè astipulantur.

Quartò, ut *Amnestiæ, seu Obliuionis Lege sancitâ, rerum omnium, quæ graßante Bello acciderunt, ipsa memoria funditus deleatur.* Huic Postulato non adjiciunt calculos, nisi cum cautelis & limitationibus, quarum beneficio Comitiorum affeclis liceret ferè quenquam è Regiis persequi.

Rebus propè ex animi sententià, omninò præter exspectationem, compositis; Delegati Pacificatores Pacem, quam animis suis percipiebant, Regi quoque, sed vani Augures, pollicebantur; rati nempe (utì par erat) Comitia aliquantisper à rigidis Postulatis recessura, cùm Rex ad ipsos leniendos, vtriusque planè Regni *Angliæ*, Spem pacis omnibus affulgentem.

&.

& *Hiberniæ* de Imperio cesserit. Imò læta Concordiæ spes omnium ferè suspensis animis affulsit, & subsequuta dubio procul fuisset, ni Factiosi homines, qui clandestinis artibus non dubium in bella protruserãt, palàm jam & armata manu optatum Colloquij fructum, & coalituram illico Pacem, intervenissent. Quo modo autem id effecerint, & vos exteros scire operæ pretium fuerit, & summâ, quantum potero, fide enarrabo.

Factiosi interveniunt.

Quomodo.

Dum Diæta celebratur, pars illa Exercitùs, quæ priùs felicem Belli aleam experta, Victricia signa domum retulerat, statiua occupat sub Imperio *Fairfaxii* (cui, seu malus Genius, sese adjunxerat *Iretonus*) tam prope *Londinum*, ut dieculæ dimidiatæ spacio liceret iter illud emetiri, & opprimere imparatos Adversarios, modò subita-

subitanea occasio id requireret. Interea *Fairfaxius. Iretonus* aliique Tribuni demissè sese in publico gerunt, *placitis Comitiorum semper se obtemperaturos, Pacem publicam sibi-ipsis præ omnibus gratam futuram, quâ Militiæ tediis liberi res suas priuatas procurent, & post tot exantlatos labores quietè fruantur, præ se ferunt.* Privatim verò (collatis cum factione sua, *Comitiis* intermissâ, consiliis) permittunt inter cohortes & legiones gregarij militis, minorùmque ordinum Ductores conciliabula agitari, & Petitiones fabricari (quibus *irritus fieret cum Rege Tractatus, & supplicium de omnibus indiscriminatim Regiam personam jam tum callidè impetentes; Reipublicæ inimicis exposcerent*) etiam & evulgari, prelisque impressas ad tentandos Vulgi animos propalari. [Dubium, annon & harum Petitionum Au-

Ductores Exercitùs simulant sibi perplacituram pacem.

Interim gregarios milites aduersùs pacē ex-timulant, ut & regem in supplium postulent

tores

tores extiterint ipsi maiorum Agminum Ductores Tribunique]In eandem sententiam per Emissarios(præsertim *Hugonem Peters*, Ministerij desertorem juxta & opprobrium, impigrum, effrontem, & procacem hominem)passim locorum dispositos, milites, per se satis faciles, in spolia, & res novas alliciunt.

Congregātur milites prope Londinum.

Interea quamprimum insurgentes Plebeios (quorum suprà meminimus) dissipare, præsidia per singulas Provincias firmare, & itineri se comparare potuerunt, versus *Fairfaxii* stationem omnes totius Regni Milites accersuntur, qui Victoriis ovantes, & (partes Victrices sequentibus quamplurimis) auctiore numero confluunt. *Iretonus* (simultatis inter ipsum & *Fairfaxium* exortę famā in Vulgus sparsā) privatim, sese intra Castellū *Vuindsorense*, recondit,

Iretonus Remonstrantiam effingit aduersùs Pacem.

&

& *Remonstrantiam* magno verborum apparatu, & Eloquij ambitione procudit, quà, sub *Exercitûs* nomine,,*contra pacem cum Rege pactam, Regisque restitutionem, argutiis nescio quibus contendit*; imò *Regis ipsius caput ad supplicium exposcit; petit Iudicio sisti undecim illos Senatores, quos anno superiori Perduellonis postularat Exercitus; excludique à Senaculis alios omnes, qui Comitiis olim adhæserant, cùm fugerent ad Exercitum Oratores, reliquiq; Factioni isti mancipati; stipendia Militibus debita persolvi è Regio censu, & Decanorũ Capitulorùmque possessionibus in hunc præcipuè finem, Sumptùsque publicos ferẽdos, divehendis; Terminum præsenti parlamento statui, initâ magis æquà ratione, de Repræsentativa Populi in posterum eligenda, penès quam sũma rerum potestas sit*; aliàque hujus generis complura satis ꝑ Imperio postulat. idque Exercitùs nomĩne

Collo-

Colloquii fine jam appropinquante (qnod protelari, & artibus luis turbari, quò meliùs interim in unum ſe contraheret Exercitus, curabant ſedulò *Oligarchorum* ſimul & *Democraticorum* Factiones, quæ Parlamentariis ædibus intererant) *Ductores Exercitus* ab Inſula *Vecti*, & *Comitiis* de omni rerum proceſſu & opportunitate ſuis negotiis accommodà edocti, *Conſilium Caſtrenſe*, quò Tribuni omnes, minoriſque ſortis militares Præfecti conveniunt, indicunt; ibi prolatam lectàmque *Iretoni Remonſtrantiam*, quaſi de Cœlo delapſam, magno plauſu excipiunt, eandèmque tanquam ab omnibus comprobatam formidabili titulo *Exercitùs* inſcribunt; Comitijs denique exhibendā procurāt, nomine *Exercitùs*, & *Populi Anglicani* cujus ſi conquiſita fuiſſent ſuffragia, vix milleſima

Quæ militari Cōſilio cōprobatur & Comitiis exhibetur.

lesimus præbuisset assensum; reliqui autem perfidum sceleris Caput cum integro Satellitio, ceu humani generis pestes male cruci devovissent.

Senaculum verò Inferius tantos ab ipsa temporis necessitate sibi sumpsit animos, ut ausum sit (istà remonstrantià ad tempus sepositâ) Regijs, quas præ manibus habebat, Concessionibus pensitandis insistere. Quod cùm Præfecti Exercitùs stomacharentur, tam indignè nempe se ab iis tractari, qui sibi omnem, quâ gaudebant, dignitatem acceptam ferrent, immissis in *Vectim Insulam* auxiliaribus copijs, Regi manus injiciunt, & ex Insula delatum, in *Castello Hurst* (qui ex opposito Insulam spectat, locus angustissimus, sordidus, & mari circumfluo insalubris) includunt, simul etiam signa *Londinum* versùs moueri iubent; Pa-

Pergit nihilominus Infer. or. Cõfessus in pensitãdis Regijs Concessionibus.

Regemq; abripiunt ex Insula Vecti.

Signa Lõdinum versùs mouent.

tum est (dum interea de *Presbyteratu*, de *Fœdere Nationali* dèque *Delinquentibus* (in quibus Rex satis non fecerat Comitiorum placitis)) scrupulos nectunt & disseminant rixas quibus in diversum alias partes agerent, longisque oratiunculis tempus tererent *Indepédentes Oligarchici & Democratici*, quo totus Exercitus in Civitatem immigrandi spatium lucraretur) in istam tandem sententiam descendũt, *Concessiones Regias idoneum esse Pacis per ipsos stabiliendæ fundamentum*. Quæ sententia ducentis suffragiis (dissentientibus vix sexaginta viris) comprobata est. Cui in terminis die sequenti non segniter adstipulatur *Superior Senatus*, prorogato statim in septimanam (donec defervesceret aliquantulum iste impetus) conventu. Delegati protinus à Domo Communium seliguntur, quibus deman-

Decernũt Concessiones Regias idonea esse stabiliendæ Pacis fundamẽta, Cui & astipulãtur Proceres.

datur, ut *Faifaxium* & *Doctores Exercitus* ea de re certiores faciant.

Hoc malè habuit Oligarchicos.

Oligarchicos hoc malè adeò habuit, vt Orator *Lenthalius* (qui toto pectore jam hauserat eorum insaniam) statim palàm in Comitiis interminaretur, *Nunquam in posterum istis, si sententiæ mordicus adhæserint, copiã fore ad Comitia conueniendi*. Et revera proximo Consessùs die; Triduni quidam, unà vel alterà legione Peditum, cum cohorte Cataphractorum circumstipati, omnes Inferioris Cameræ accessus obsident, ingressùrisque Senatoribus sententiæ eorum adversis nempe quadraginta cordatioribus consultioribùsque viris violentas manus injiciunt. Centum & quinquaginta, plùs minùs, alios Comitiis arcent, nec ullis indulgent introeundi licentiam, nisi quos probè nòrant factioni suæ velifica-

Ductores Exercitùs obsident Seuacula

Incarcerant Seantores.

140. alios arcent à Comitiis.

ficaturos. Aliquos verò ſcrutinium præterlapſos, ſimul ac conſtaret Senaculum ingreſſos ſedes ibi occupare, ſcripto tanquam ab Amicorum vel Clientum aliquo ad Colloquium evocante, januam versùs pellectos, & fruſtrà Senatûs Autoritatem inclamantes, ex ipſa Senaculi Camerà vi abripiunt.

Trahunt nònullos è Domo Comitiorum.

Multis malè modis exagitata; ludibrio exponuntur captiva Parlamenti Membra, carcerìſque ſqualore diù macerãtur; atque hos inter complures qui Parlamentariam Cauſſam præcipuo loco, ceu *Archiſtrategi Præfecti, Tribunique* propugnaverant, fortem & fidelem navàrant operam, hanc denuo gratiam reportant. Imò *Prinnus*, ille fuſiſſimorum pro Parlamento Scriptorum indefeſſus Autor, eodem cum cæteris in luto hæret. Hinc paſſim obſtupeſcentibus hominibus inſcru-

Captivos malè tractant.

tabilia Dei Iudicia, qui *suorum stipendiariorum manibus indignè adeò tractari permisit eos, qui priùs manus audacesin Regem suũ Subditi injecerant. Sed & hoc ipsum repugnãdi Senatus fuco & Reformationis titulo cohonestant.*

Arripit Au orita tem Sena tus Oligarchica Factio, 40 virciter viri.

Sic ad paucos viros Senatus Inferior redactus est, eòsque omnino Exercitui mancipatos, vel (ut veriùs dicam) præcipuis Exercitùs Ductoribus quibus cum Castris in Senatum retròque commeantibus, jam quotidianæ Sentetiarum collationes fiunt; & Castrensi priùs Concilio decernitus, quod Comitiis (jam invicem sub milite merentibus) statuendum proponitur, quorum Autoritatis larvam suis designationibus obducunt.

quos tamen Milites moderentur.

Ex tot centenis Senatoribus, Capitum denuò ad hanc Cameram coeũtium numerus, vix par inferioris Senaculi nomini

ſuſtinendo, quadragenarium ſcilicet ægrè attingit. Eorum etiam nec tantùm minimũ, ſed & peſſimum in imo, & quæ de *Comitiorum* fæce ſupereſſe conſtat. Quin & horum magna pars *Ductores* sũt *Exercitus*. Adeò nihil planè de Senatu reſtat præter nomen tam grande nefas horreſcentibus, & ab ipſorum conſortio aufugientibus etiam nonnullis, qui conſcientiæ fuco deluſi *Independentium* Parti nomina dederant.

Hi pauci homunciones de ſumma rerum Anglicanarum ſtatuenda, de *Rege plectendo*, Legibus patrijs ferendis & reſigendis, Regiminis aviti fundamentls penitus ſubvertendis, hi, inquam, de rebus hiſce determinandi poteſtatem ſibi ſolis arrogare non erubeſcunt. Decreta olìm de *Rege non amplius compellando* (ſurreptitia illa, vi & dolo malo extorta, plenis

Statunn de ſummis Regni Negotijs.

Decreta De Rege non conveniendo rata esse jubẽ; De colloquio instituẽdo irrita

verò utriusque *Senaculi Comitijs* rescissa) de novo rata esse jubentur: altera verò illa, *De Colloquio cum Rege*, irrita. Illud potissimùm, quo Regiæ Concessiones pro idoneâ Pacis futuræ basi habendæ statuebantur, exploditur, & cùm ludibrio expungitur, utpote indignum & minimè Parlamentarium scitum. Nova prioribus substituuntur, à Communium horum cœtu, Plebiscita; unde suffragiis invadunt, quod priùs Armis arripuerant, Imperium.

Scita præmittunt in Regis caput.

Sciscunt primò, *penès Populum potestatem omnem primitus residere*.

Secundò, *Ad Populi Delegatos, seu Repræsentativos* (scipsos volunt intelligi) *Domus Communiũ viros id potestatis pertinere.*

Tertiò *Proinde vim Legis obtinere Populi seu Communiũ Placita, citra Regis aut Procerum suffra-*

ſuffragia ; Horatiana planè lege *Quod Plebs ſciverit, id Populū teneat.*

Quartò, *Contra Populi Repræſentativum ſive Parlamentum arma ciere, & bellum eidem inferre, crimen eſſe Perduellionis.*

Quintò, *Regem ipſum contra Parlamentum arma ſumſiſſe eòq; nomine ſanguinis per Ciuile hoc bellum fuſi reum eſſe* (quo ſuis capitibus ſcelus amoliri viderentur) *ſanguinèque proprio crimen illud expiaturum.*

Hiſce ſic prælude batur grandi (quod ſenſim oportuit moliri) & (horreſco referens) atrociſſimo ſceleri. Hàc tanta (quantam ſibi ipſis viſum eſt ſumere) poteſtate freti non verentur Tribunal novum Subditorum abjectiſſimorum in Regem erigere; cui *Iuſtitiæ-Curia-Suprema*, nomen imponunt, à nomine Reuerentiam mutuaturi. Huic Iudices cen-

Tribunal Subditorum erigunt adversùs Regem.

E ſuâ factione 150 Iudices in hoc facinus conſtituunt.

nullus erat, qui peculatui suo, Sacrilegio, repetundis, alii sque facinoribus impunitatem vel Regios reditus, Palatia, Supellectilem sibi cessuram, vel munia quæstuosa in se, ob tam audax facinus conferenda, non sperabat. Obnoxiis hominibus.

Dynastarum interim vix ulla ratio habebatur: atque vulgò credebatur eosdem sponte suà à Superiore Senaculo absfuturos, utpote tantis periculis perterrefactos, præter quatuor, aut quinque Oligarchiæ sectæ mancipia. Horum Autoritatem sibi fore satis validam autumabant, *Factiosi* cuivis facinori corroborando. Neque omni ex parte illusa eorum spes fuit: In summo tamen negotio cessit infeliciùs. Pauci enim Dynastæ quotidie Comitiis interesse consueverant, eo autem die, quo approbandum Procerum Senatui Decretum, *De Rege sistendo*, defe- Superior Senatus floccipenditur.

Placita tamen sua mittunt Oligarcici ab eodē corroboranda.

Sed inceſſum Decretum exinde ejicitur, ut noxiū & illegitimum.

deferebatur ex *Camera Communium*, inopinatò ſeptendecim adiunt, qui omnes (nè iis quidem exceptis, qui *Oligarchicis* favebant) non modò Aſſenſum præbere detrectant, ſed & ipsū rejiciunt Decretum, ut *damnoſum, nulliſque Legibus innixum*.

Hinc Proceres omnes ex albo Iudicum Regiorum expungūtur.

Hinc excandeſcere *Graſſatores*, ac vindictam ſpirare, ob publicam adeò ſibi inuſtam infamiam. Cæterùm inpræſentiarum ſatis ipſis viſum eſt, ut è numero Iudicum contra *Regem* delectorum, *Proceres* omnes expungerent.

Ut & Regni Iudices ceu placitis illis contrarii.

Mox verò ex eodem albo eximebantur *Regni Iudices* (quòd in hoc negotio privatim ſententias rogati (quamvis ipſi nuperrimè, mediante hàc Novatorum factione, in officia ſua Comitiorum Autoritate evecti fuerant) reſpondiſſent, *Eſſe contra receptas Leges & Conſuetudines Angliæ, Regem Iudicio ſiſti*.

Præſi-

Præsidem huic Curiæ præponunt, qui ad hoc munus parem allaturus erat famam & dignitatem, obscuris nempe natalitiis rabulam *Bradhavv*, frontis effrictæ, linguæ petulantis, hominem nuperrimè vel inter suæ professionis viros, nullius pretij; Procuratorem verò quēdam *Cook*, ejusdem farinæ, homuncionem egenum (polygamum ferunt) mille defunctum artibus, & facinoribus ad panem emendum, & jam aucupandi lucelli spe promptum in quolibet facinus. Privatim consulitur per dies aliquot de materia, formàque, sive modo perpetrandi facinoris: ubi ad Accusationem Regis concinnandam, maximam elocavit operam *Dorislaus* quidam, Legum Doctor, Germanus, exulem vel transfugam appellare nescio.

Præsidem Curiæ quem eligunt.

& Procuratorem.

Recla-

interea Ministri Presbyteriani contra declamant.

Reclamant interea *Ministri Presbyteriani Ecclesiarum Londinensium* ferè omnes, & ex plurimis Provincijs plures; imò ex *Independentium* partibus nonnulli, concionibus è suggestu, literis, colloquijs, libellis supplicibus, Protestationibus, & Remonstrantiis publicè divulgatis obtestantur, *nè contra tot Iuramentorum horrēdas Obligationes, contra fidem publicam, privatam, Declarationibus, pollicitationibus communitam, contra Leges Gentilitias, contra sacræ Scripturæ & Religionis sanctiora Dictamina, imò contra Reipublicæ utilitatem manus suas & Regnum cruore Regio commacularēt*. *Scoti* per Delegatos obviàm eunt, & contrà protestantur; *Ordines Belgij fæderati* per Oratores interponunt, operam omnem adhibent, preces, precio quoque oblato; *Nobiles Angli* sese Ob-

Scoti quoque contra protestantur. Ordines Hollandiæ interponunt. Proceres sese obsides pro Rege offerunt.

sidum

fidum loco; aut (si poscerent) succedaneorum vice offerũt unicos, siquid Rex peccàrit, flagitij Ministros. Fremit, mussitàtque *Populus*, ærè vanas siue viribus iras compescens. — Totus Populus fremit.

At frustrà hæc omnia. Nam his ex facili contemptis tuētur se *Novatores, obtentu Providētię divinæ, sanctìque Spiritus impulsu.* Mactos esse jubet è suggesto *Peters* (saxeæ frontis histrio; qui flagris ignominiosè, cæsus *Cantabrigià* cessit;; ab eo tēpore navatà Schismaticis operà, mēdacissimus, adulter, horum tamen dignissimus Apostolus) *adesse tempus* docet, *quo Sancti Terræ Reges eorũque Nobiles ferreis vincirent catenis* (sic prophanus nebulo Sacram paginã interpretatur) *monètque nè dubitét ad se prophetiam spectare; præ cōcione Sanctos Iudices identidem compellat, quinque millia non minus Sanctos in Exercitu, quàm in* — At frustra — Quadam Peters è suggesto Iudices exstimulant.

cælo

cælo apud Deum ipsu versari protestatur se compertos habere, flexis in suggestu genubus, lacrymis fictis, eleuatis manibus, & *Populi Anglicani nomine obnixè petit, vt Iustitiã exequãtur in* Carolum, *&* *nè* Benhada *inimicum dimittant incolumèm*. Imò in Monarchiam ipsam insolentissimè debacchatur, &, gliscente livido ingenio historiam illustrat, quà *Arbores in eligendo Rege, vite atque oleà recusantibus id officij, asperiorem subire rubi dominatum*. *Regium regimen rubeti instar esse docet*. Hujusmodi Argumentis incitat firmatque novos hosce *Iudices*, satis superque contra *Regem* proprià indole ferocientes.

Per Præconem citantur Testes Actoresque ad versùs Regem.

Alius item præter *Petrum* illum Præco designatus è fæcialibus, qui circumstante (nè lapibibus obrueretur) Equitum turma, præcinentibus Buccinatoribus, citabat, aduersùs

Regem

Regem quoslibet Actores, si-quis illum cuinspiam Criminis reum cognosceret: quod in *Aula* priùs *Vvestmonasteriensi* evulgatum, deinde aliis in locis Civitatis *Londini* frequentissimis.

Hisce coram Iudicibus, novo insidētibus Tribunali, *Augustissimus Carolus*, tribus Regnis (si per illos licuisset, florentissimis) exutus; jam etiam, quæ sola supererat, vitâ spoliandus, nullis incompositi animi aut vultùs indiciis deducitur. Accusatio perlegitus, in qua *postulatur Anglicani Populi nomine Perduellionis, Tyrannidis, Cædium, & rapinarum omnium, quæ bello acciderant*; multis in exaggerationum adjectis, in eo totius Criminationis pondus reponunt, quod *Bellum contra Parlamentum movisset*) quod Ipsi tamen vi & armis protriverāt, immensâ spectante Coronâ) Rex sistitur. Accusatur.

gemi-

gemitibus, suspirijs, lacrymisque Optimi Principis sortem deplorante.

Autoritatem feri in dubium vocat.

Rex audita criminatiione, vultu, verbisque Majestatem testantibus, supra quam stilo assequi quis possit, novos istos Iudices interrogat, *Quâ Autoritate Regem, Regem summo jure suum contra fidem publicam* (quę nuperrimè data fuerat cũ utriusque Ordinis Senatoribus colloquium instituenti) *pro Tribunali sisterent? Quâ* (inquit emphaticè) LEGITIMA AUTORITATE? *Nec enim se latere dixit plurima passim grassari Imperia, nullis legibus innixa; sicuti Latronum, Prædonum in compitis: declaret modo quo Iure hanc, qualiscumque fuerit, potestatem sibi arrogassent, sèque libenter responsurum objectis. Quòd si minus possent, piaculum hoc à suis Capitibus & à Regno ut avertant, monet: quicquid illi fece-*

rint, sibi fixum, non prodere Provinciam à Deo traditam, & longævo stemmate confirmatam.

Præsidi oggerenti, Eum *Populi Angliicani Iure, cujus Electione in Regem adscitus erat, in examen vocari;* Reponit Rex, *Neutiquã Electivum sed Hæreditariũ annos supra mille ad Se Regnum devolutum; Populi Anglicani Iura Se manifestiùs asserere, Autoritatem illegitimam & arbitrariam recusando; quàm Iudices vel alios quoscumque astruẽdo; Populi Parlamentariis in Comitiis Ius & Potestatem ostentari, Neminẽ verò hìc cerni Nobilium Ordinum, quos Parlamento utique constituendo adesse oportuit, quin & Rex aliquis intereße debuit; verùm nec alterutrũ, nec utrũque Parlamenti consessum, nec aliud ullum in Terrarum orbe Tribunal quicquam Iuris habere, Regem Angliæ in ordinem cogendi, multò minùs edititios aliquot Judices,* *Inferio-*

Quã nffir mat Præ-rcs à Populo. Regem Angliæ eligente derivari. Rex infiriatu..

Inferioris Senaculi, ejuſdèmque procultati, Authoritate larvatos. Quin proferãt ſaltem Autoritatẽ hanc ſuam denuo monet, nè ſe defenſioni ſuæ defuturum. Sibi quippe idem eſſe flagitij Tirannicæ poteſtati cedere. ac legitimæ obniti ſæpe orationis filum interrumpẽte; Præſide, & tandem ad Cuſtodiam abripi captivum imperante.

Secundò, tertiòq; Rex ſiſtitur.

Iam ſecundò, tertiòque ſiſtitur ad Vulgi Tribunal Regum Optimus, ubi Præſes eum de Crimine poſtulat, mandàtque vt Articulis objectis reſpondeat, niſi capitalem audire mallet ſententiam. Rex autem cõſtãter de Autoritate fori iſtius percontatur; Minoris æſtimari, à ſe vitàm ait, quàm Honorem, Conſcientiam, Leges, Populi Libertatem; quæ ſimul omnia nè pereant, graves ſubeſſe Rationes, quare defenſionem ſuam, apud iſtos Iudices proſequi, nuvamque Iudicij formam agnoſcere, non liceret. Tribunal ſiquidem in Regem

Rationes allaturũ cõtraCuriæ Autoritatem.

gem erigendi, quæ unquam potestas Subditis, aut quibus Legibus concessa est? Non utique Divinis, quippe quæ obsequium è contrario Principibus præcipiunt; non Humanis, nec Gentilitijs nostris, cùm Leges Angliæ postulationes omnes Regis nomine fieri jubent; nec ullam Iudicandi potestatem vel in Subditorum abjectissimum, Senaculo Inferiori (seu Cõmunium) *indulgent. Nec denique profluxit id Potestatis ab Autoritate* (quæ fingi potest) *extraordinariâ, à Populo Delegatâ, cùm nè decimum quidem quinque* (millesimum potuisset dicere) *hâc in causâ rogaveritis.*

Præses identidem, ut prius, interrumpens, orationem, nũc porrò insolentiùs increpat, *fortisque suæ memorem esse jubet; Curiæ Ius suum abundè constare asserit, nec audienda à Curia Rationes ullas, quæ suæ Autoritati detractum irent, At quænam* (inquit

Præses interrupit, & insolẽtiùs increpat.

quit Rex) *aut vbi Gentium est illa Curia, in qua nullus est rationi locus?* Imò (subjicit Præses) *ipsam hanc esse istiusmodi senties. At* (instat Rex) *ut saltem in scriptis permittant rationes exhiberi, quibus satis si fecerint; se Iurisdictioni cessurum.* Hìc Pernegare non contentus, sed insuper excandescens Præses. *abripi captivum jubet*, nihil aliud ad ista regerentem, quàm, *Memineritis Regem esse Vestrum, cui aures avertitis, Frustrà sanè Subditi, mei Iustitiam a vobis exspectaverint, qui Regi Vestro Caussam suam acturo aures ebturatis.*

Rex quartò vice sistitur. Rex jam quartò ad Iustitiæ (dicam? an Injustitiæ) forum accersitur; ubi Præses ostro refulgens, *Regis contumaciam acerrimè perstringit, lõganimitate fori ubertim collaudatâ. Iubet, ut jam tandem Curiæ se submittat, aliàs pronunciatam in se capitalem sententiam auditurus. Rex verò ijs*

coram

coram caussam dicere cōstante recusat; habere autem se nonnulla ad rem Populi Pacemque Regni spectantia, quæ coram vtriusque Ordinis Senatoribus expromendi libertatem desiderat. Illi verò nè hanc quidem Ipsi gratiam (haud infinitæ] quidem fortis hominibus negari solitam) *concedere dignantur, nè scilicet id cedat in moram & sufflamen Iustitiæ.* Ibi tum Rex, *subeundam potiùs unius aut alterius dieculæ moram, quàm præcipitandam sententiam, perēnes Regno Tragœdias; infantibúsque nondum natis miserias allaturam. Cunctandi occasiones* (inquit) *si captarem, anxiùs contestatâ lite caussam dicerem; quæ tempori protrahendo, & deformi sententiæ paulisper saltem remorādæ sufficeret: Sed ità Legum, Patrique Iuris me defensorem geram, ut malim pro hisce mori, Populi mei MARTYR, quàm ista gladij ferociæ prostituendo, libertatem* qua-

Recusat iterum se se Autoritati Tribunalis istius submittere, Copiam poscit Senatores utriusque Consessus conveniendi.

qualemcunque meã aucupari. Loquendi autem breuissimã hanc libertatem ideò postulo, ante latam fœdam atrocem; sentẽtiam, quòd probè norim difficiliùs eam retrectari posse, quàm anteverti.

Atat; quà cœperat immanitate, pergit ad sententiam Præmissa oratione, quà contumaciam Regis, & Criminis atrocitatem exaggerat, Parlamentariam astruit Autoritatem, prolatis in medium exemplis, tum domesticis; tum exteris, præsertim è *Scotia* (quam ritè ipsi viderint) quibus Populus in Reges animadverterat *non minorem esse Populi Anglicani in suum Regem potentam aßerit, majorẽ quàm aliorum omnium Regis hujus reatum, utpote qui* (juxta *Caligulæ* votum *totius Regni iugulum præcidere tentàrat. Bello adversus Parlamentum intentato.* Iubet proinde legi sententiam sub hac Formula,

Quoniam

Quoniam Carolus Stuartus *à Populo postulatus Tyrannidis, Perduellionis, Homicidij, & Administrationis malè-gestæ, nec pro se quicquam responderit, Cōtumaciæ denuo juxta ac objectorum Criminum reus, prædictus* Carolus Stuartus *neci adjudicator, Caput à Corpore sejungēdo.*

Capitalē sententiā legi jubet.

Quà pronunciatà, qui aderant Iudices sexaginta septem (cæteris, inter quos *Fairfaxius* ob horrorem sceleris interesse non sustinentibus) invitante Præside, assurgunt in sententiæ comprobationem, quasi audacissimi facinoris conscientia elati.

Iudices quotquot aderāt assurgūt in comprobatio nem sententiæ.

Regem abripiūt Milites.

Abripitur Inde Sacra *Majestas* militibus illudenda, in atrocissimi Parricidij procœmiū (vt plurima Christo suo simillima pateretur) qui positâ omni

Ludunt.

Regij Nominis Reverentiâ, quasi triumphos de Captivo agerent, inmani Barbarie *Justitiam, Justitiam* (instigante *Petro* isto prædicto) sicut olim *Iudæi Crucem, Crucem,* vociferantur) Prætereuntis vestimenta con-

& inhumaniter exagitāt.

spuunt: unus (quod, inter alios adstantes, Tribunus quidam è Regijs Iudicibus retulit, non sine militis animosi laudatione) Venerandos Vultus salivâ conspurcat. Nicotianæ nidorem quem Regi gravem esse norânt, in os reddunt, tubulorùmque frusta præ pedibus obambulanti projiciunt: alijs etiam inhumanitatem imponunt; nutu vel pileo prætereuntem salutantes fustibus mulctant; imò quendam paullo humaniorem,

&

& illud (*Misereatur Deus*) ingemiscentem exanimant: Ingerunt sese conclavi, nec interdiù noctùve, solitudine, aut privato frui vel Sacellani sui consortio permittunt, cujus unius (Episcopi scilicet *Londinensis*) idque ægrè, indulserant accessum: cachinnis Sacra Ritu *Anglicano* peragentem prosequuntur; Mordacibus dicterijs, frivolisque distinent Quæstiunculis, & perturbant ad extrema se parantem.

Magnanimiter & prudẽter se gerit Regia Majestas.

Ille verò magna animi præsentia, ad propè astantes conversus dum *Justitiam* reboarent Milites aliqui, *Misellas Animas*? (inquit) *idem erga Duces suos exigui æris pretio agerent*; dum sputa exciperet, abstergens, *Christus Mei gratiâ plus passus est*. Ductores Exercitùs, Milites, aliòsque importunos Catabaptistas, qui suis Argutiolis & Disputationibus tentatum venerant,

nerânt, tam validis in caussam suam allatis argumentis repressit, ut ora plerisque obturaverit; scommata & ludibria facili contemptu dissimulauit; petulantiam negligendo elusit. Imò in his temporis angustijs, & inter hanc militum obstrepētium barbariem, animo semper ad Religionem composito, confessioni peccatorum, condonationi Inimicorum. Eucharistiæ Sacramento suscipienda, Lectioni sacræ, pijs Colloquijs incumbendo, omnibusque Pietatis officiis fungendo, inter hominum odia Divino velificatur favori, mortisque terrores antequam ingruerent, propulsat superatque.

Ad extrema subeunda se parat.

Iudices interea Edititii, privatis Consessibus habitis de tempore, loco, totaque necis infligendæ solennitate consilium ineunt. Vbi quæ fœda Mortis genera, pro odio, & sæ-

Consulitur A Iudicibus de modo & tempore necis infligendæ.

uitia

uitia cujusque genii, damnato Cæsari irroganda proposita fuerint, putet referre, vtcumque à fide-dignissimis recepta.

Quidam palo caput & membra passim transfigenda, (quod Perduellionibus fit) duratura post mortem ignominia statuerunt; Alii laqueo enecandum, Homicidarum, & Latronum ritu, mussitant; Nonnulli Regio Diademate redimitum & insignibus indutum, & in Monumentum Populi supra Reges potentis, plectendum volunt. Tandem satis esse censent, ut securi percutiatur, super contabulationem hunc in finem compaginandam, præ *Basilicæ Albæ* foribus, juxta Regium Senaculum, ut ibidem ubi Solium ascendere consueuerat, & Sacræ Majestatis ostentare pompam, transiret ad funebre suggestum, & exuuias Majestatis poneret, ubi induerat Insignia. Hic

Triumphus, hæc trophæa ovantis vindictæ. Et quoniam inaudiverant, nolle Regem cervicem submittere securi Subditorum, uncis ferreisque retinaculis armari pegma jubent, ad Caput, Manusque (modò reniteretur) revinciendas.

Non tamen prætereundum est inter ista Mortis præludia, Milites quosdam, die supremum antecedente, *Propositiones* obtulisse; quibus si tandem subscriberet, vitæ, nominisque Regii gratiam se præstituros pollicebantur; quas, vnâ vel alterâ lectâ, rejicit, inquiens; *Mille mortes mihi subire potius erit, quàm sic meum Honorem, sic Populi Libertates prostituere.*

Rex ad suppilcij locū deducitur. Dies fatalis illuxerat, cùm Rex obfirmato adversùs mortem per Innocentiam & Pietatem pectore, excessit è Divi *Iacobi* Basilicâ (jam carcere Regio) per vivarium iter pedestre quin-

quingentorum passuum faciens alacri,tãquam ad venationem, vultu; vbi cunctabundos Milites & bipenniferos hortatus est sæpius, ut gradu pergerent citatiori; admonens, *Se jam illis præcedere, luctam de cœlesti Coronâ subiturum, minori solicitudine, quã sæpe suos duxerat Milites pro Terreno præliaturus Diademate.*

In Cœnaculum inductus, horæ spatio precibus vacat; ut cum Deo jam animæ negotio perfunctus vacuum aliquod relinqueret moriendi spacium, cum milite transigendum. Indè prodeunti in pegma, pullis horridum stratis, larvati Carnifices occursant, truncus, sæva securis objiciuntur; nec tamen ita territant, quin majorem præ se ferret viventium curam, quàm moriendi solicitudinem. Circumspiciens enim Populum(quem septa densatæque Equitum turmę procul

arcebant) videnſque Se ab iis exaudiri non poſſe, prætermiſſa (uti probabile eſt) qua turbam compellare decreuerat, oratione, ad Tribunos, reliquoſque Regicidij Miniſtros conuerſus, hiſce verbis affatus eſt:

Tribunos reliquoſque Regicidij Miniſtros allocutus.

Nihil vobis coràm jam dicerem, niſi Silentium meum in reatus argumẽtum traherent nonnulli, Meque exiſtimarent ea cõſcientia crimina exprobata in Me admittere, qua patientia pœnæ ſuccumbo.

Tuetur Innocentiam ſuã.

Innocentiæ meę teſtem Deum invoco (prę cujus Tribunali brevi ſiſtendus ſum) mihi nunquam in mentem veniſſe juſta Parlamenti Privilegia imminuere, neque priùs Exercitum cònſcripſiſſe, quàm Illi hoſtiles in Me Copias paraſſent; quid è Cœptorum vtrinque ordine & Diplomatum Programatũque faſtis, inquirenti liquidò conſtabit.

Dei tamen Iuſtitiam agnoſcit.

Interim agnoſco, & demiſiſſimè amplector Iuſtitiam Divinã, quæ per

*per iniquam hodie sententiam justum mihi inflixit supplicium, quòd olim innocentem Virum(*Hibernię Pro-Regem intelligebat) *liberare noluerint, cum iniquissimo Decreto opprimeretur.*

Qua Charitate sævientes in Me Hostes amplector, testem habeo Virum hunc probum(Digito in Episcopum Londinensem intento) *veniam hisce omnibus intimis ex præcordijs indulgeo; Deumque Misericordiarum obnixè veneror, vt seriam ijs resipiscentiam largiri dignetur, & remittat hoc facinus.* Hostibus dat veniam,

Nequeo tamen, dum spiritum hunc evanidum traho, non de Regni mei Pāce solicitus esse, cui penès Me non est impræsentiarum rectiùs vt consulam, quàm designando semitam, & quà latè deviatum est, & quà vobis Militibus ad bonam frugem Pacemque redeundum sit. Regni miseretur

Errores Factiosorum indigitat.

In eo vos conspicior miserrimè devios, quòd Gladij titulo, absque omni vel umbra Iuris, Imperium ad Vos arripiendum censeatis, Regnumque non Autoritate Legum, sed Victoriæ nomine stabilire annitamini; cui nihil Iuris accrescere unquã poterit, nisi Caussa & Tuba Belli procinuerit iusta, nempe vel ob injurias propulsandas, vel Iura iniquè detenta recuperanda. Quòd si Successus lætiores ultra castos æqui bonique limites provexerint Victores, nihil obstat, quominùs Regna, quæ instituuntur, magna Latrocinia & sint & audiant, quòd olim Alexandro *Piratam obiecisse legitur.*

Ad Pacē quomodo reverti possint, docet.

Cæterùm non alia ratione deviantibus licet in rectum Pacis tramitem reverti, non alio (mihi credite) Consilio Divinam Iram averti posse spes est, quàm Deo, Regi, Populo, quæ sua cuiusque sunt, restituendo, Deo quæ sua sunt reddetis, purum ejus Cultum

&

& Ecclesiam ritè ordinatam ad Verbi Divini præscriptum redintegrando, quæ diù convulsa, & labefactata miserè jacuit. Hoc autem commodissimè præstabit Synodus Nationalis ritè convocata, libereque definiens. Regi (Successori scilicet meo) Ius in integrum fiet, si ea reponatis quę Legum ipsarũ clarâ voce indicantur. Populi denique sua Iura, & veram Libertatem asseretis, non Illum in Solij consessum & Sceptri Regimen evehẽdo, sed Legibus suam conciliando Autoritatem & Populi Obsequia quibus per enorme Gladij imperiũ abrogandis vt assentiret cum nulla ratione adduci potuerim, huc perductus sũ pro Populo meo MARTIRIVM subiturus.

Sic extremo spiritu mitissimam in orationem leniter effuso, suggerit *Episcopus Londinensis*, *ut* (si ita visum Serenissimæ Majestati fuerit) *de religione quid sentiret, palam* pro-

profiteretur; non quòd ulli Mortalium suspecta esset,(cujus ipse semper toto vitæ spacio clara indicia dederat) sed ut Populo & Consuetudini satisfieret.

Christianum se mori profitetur juxta Reformationem Anglicanã.

Ad hæc Rex, *Se Fidei suæ testimonium penès illum bonũ Virum* (Episcopum volebat) *deposuisse, aut etiam ab omnibus hac ex parte defensionem exspectare, quibus Vita & Professio perspecta fuit; utpotè qui morior* (inquit) *in Fide Christiana, juxta Ecclesiæ Anglicanæ Professionem, sicuti mibi eandem tradidit Beatissimę Memorię Pater.*

Dein Tribunos circumspiciens; *Deo* (inquit) *Clementissimo, Caussaquę justissima fretus, Corônam hãc corruptibilem altera immarcessibili me protinus cõmutaturum & confido & gestio, meque in Regnum aliud emigraturũ, àb omni motu penitus privum liberumque,*

Inde versa in precaciuncu-

lam

lam oratione, ad truncum tanquàm àd oràndi pluteum se deuoluens, generosas Ceruices demìsit humillimè Deo, à larvato Carnifice amputandas. Quod repentè factum est, unico ictu, sed fortiori. Sic cecidit CAROLVS: sic uniuersa simul BRITANNIA. Capite plectitur

Neque satis ducunt in viuum sæuisse. Spoliànt Inimici securi percussum corpus, cruore manus abluunt, baculos intingunt, truncum in segmenta discissum, & arenam sanguine imbutam, licitantur; capillos etiam venum exponunt; exenterandum corpus tradunt Medicastro cuidam & Chirurgis castrensibus (abactis proprijs Administris) Regio nomini infensissimis, quibus in mandatis erat inquirere sedulò (hoc ipsis perinde erat, ac si pronunciare iuberentur,) an morbo Aphrodisio, ve lalio quovis vitio labo- Immanis in emortuũ Barbaries.

raret. Verùm id sceleris in ovo (quod aiunt) oppressit honestioris animi Medicatulus, qui Corporis dissectioni sese clanculùm ingesserat, retulitque fata illum supra cæteros mortalium productiori ævo educasse, ut utrimque aspicientibus Corporis juxta ac animi mirandum (ferè ad pondus) temperamentum, pro comperto jam habitum est. Imò ut ad summum livoris apicem sævitiam intenderent non minùs dubitant Regis quoque memoriam eadem cæde obruere, animamque Inferni flammis devovere, idque tam ex facili, quàm suos omnes *Sanctorum albo* solent inscribere.

Omnia Regis scripta abripiunt, ne quid prodeat in publicum. Ab Episcopo *Londinensi*, diù Custodia detento, chartas, quas tradiderat Regia Maiestas, abripiunt, capsulas & vestimenta excutiunt; omnesque angulos rimantur, ne quid chartæ Regiâ

manu

manu exaratę in vulgus emanaret; multisque profectò eximiis Pietatis & prudentię monumẽtis privarunt orbem.

Summa tamen Dei Optimi Maximi Providentia, ad horum invidiam exacerbãdam, & in immensæ virtutis Regiæ testimonium, MEDITATIONVM sive SOLILOQVIORVM volumen è tenebris emersit, Opus posthumum: cujus siquis Materiæ pondus, styli nitorem, Rationis nervos, ardoremque Pietatis æquâ lance pensitet, Regnum inter Scriptores illum promeruisse vel ipsa fatebitur invidia, & quæ prædominium civile ausu nefando extorsit, reddet literarium.

Meditationum tamen Regiarum liber aureus in lucem prodit.

Nemo Regum, non Britannicorum, sed & omnium quotquot usquam solio insederunt, majore cum luctu & desiderio terras reliquit. Mortis etenim

rumore

Ingens Populi mœstitia. rumore per *Angliam* ſparſo, mulieres abortum pati in palmum, leipothimiam & melancholiam viri mulieresque incidere, imò quidam repētina conſternatione expirare, ſuggeſtum concionatorium paſſim gemitibus perſonare, iiſdem vano luctu ſublatam proſequentibus, quibus dum vixit, propter opinionis diſſenſum in Regimine Eccleſiaſtico parū gratus erat. Etiam pueruli (quibus iſta non ſolent eſſe curæ) in lacrymas effuſi, ſolatium ægrè admiſerunt. Omnis ſortis, & ferè ſectarum omnium homines laudibus extulerunt, *Iobo*, *Davidi*, *Salomoni*, patientia, pietate, prudentia, compararunt. Nec ſane facile mihi eſt non hìc immittere rudentes, non vela pandere, totoque ingenio vehi per virtutum ipſius oceanum, quanquam hac mihi licentia compendij, cui jam incumbitur, ra-

tio

tio interdicat. Paucis itaque iisdemque perobscuris radiis hunc solem ostendam.

Princeps sanè erat inter optimos omnis retrò ævi Principes numerandus; Magna ingenij vi, majoribus morum dotibus; omnium suffragijs vel inimicissimorum, dignus imperio, si non imperasset; Qui omnium confessione illod Magnum præstitit, unum hominem ubique agere, eundem virtutis & morum tenorem, eundem vultum tenere, in diversissimis, quas expertus est, fortunis; quasi è torrida in frigidam transmigraret Zonam, nil immutato pectoris temperamento. Qui vel inuitis placuit, & quasi incantamento quodam multorũ odia leniuit, Hostes qui fuerunt, Cultores sui efficit, conuiçia in laudes cõuertit; qui tanta prudentia, tot Heroicis planè uirtutibus præpolluit, ut clariùs per

Characte demortui Regis.

per opprobria, & calumnias emicuerit.

Quem mentis inopem finxerant Hostes, experti sunt non Pollicitis modò, sed & Theologis selectissimis parem, si non & superiorem. Quem timidum, & ad omnia facilem, fluxæ fidei & muliebris inconstantiæ infamàrunt, eundem in præliis militem promptiorem, minis, probris, periculis interritum, Carcere & morte senserunt inconcussum. Quem Pontificium affirmàrunt, Reformatam Apostolicam Religionem scriptis viderunt nervosè confirmantem, nec fuso tantum atramento, sed & sanguine vindicantem. Quem sanguinarium, & sævum prodiderant, eò calumniandi audaciæ solà Regis Clementià perducti sunt; ad quam facilem nimis receptum sibi promiserant Rebelles, donec ultra veniæ metas aspirante fortuna evecti,

mallent

mallent tantæ clementiæ Principi veniam negare, quam eandem ab eo jam exarmato petere.

Cui si revera quid objici potest, næ illud fuit, non eximi Principis vitium aliquod; sed corruptissimi seculi, & alieno tempore intempestiua & noxia virtus; nimia apud sævos *Lenitas* apud prava ingenia *Candor*, rigidùmque Honestum vix Regibus concessum, & *Verecundia* suis diffisa viribus; Animisque tantopere à fastu alienus, vt minus sibi tribuerit in optimis consultis, quàm alijs in minùs-bonis; quasi inimicorum de se conuitiis crederet.

Magnum vivendi, majus moriendi exemplũ; quem eàdem, quà virtus ipsa, sorte, indignis modis habitum

——incolumem odimus;
Sublatum ex oculis quærimus invidi.

Magno

Impunè grassātu Novatores in aliorum Capita, & Possessiones.

Magno jam Legum vindice sublato, solutaque Regiminis compage, omnia gubernationis fundamenra subvertere Novatores, jura pro libitu proculcare, impunèque in Capita, Possessiones & Libertates omnium grassuri. Confestim sub læsæ Majestatis pœna edicunt, nè quis CAROLVM II. [*Principem Vvalliæ*] Regem pronũciet; & quasi parùm hoc esset, *Nt quis Deum comprecetur pro salute* CAROLI II. *sub nomine Principis, aut* Scotiæ *Regnis, aut Primogeniti Regij vel pro salute Ducis* Eboracensis, *vel è Regia sobole cuiuspiam, idque periculo sequestri.*

Edicunt ne quis CAROLVM II. Regem appellet, Neve in precibus ulla fiat eius, ut Regiæ sobolis mẽtio.

Monarchiam abrogant, nec non dynastarum, sive superioris Senatus Consessum; illam prætextu *sumptuum & periculi* hunc verò *inutilitatis cum periculo conjunctæ*. *Angliæ* Regnum vetustissimum in *Popularem* statnm immutant

Sublato Monarcha statum & Monarchiam jugulant: Senatoriã quoque Procerum Autoritatem abrogant.

mutant: factumque hoc Prætorem *Londini* promulgare jubant: renuentem officio privant, mulctâque bis mille librarum irrogata in Turrim conjiciunt, quòd id facinoris non ad *Prætoris*, sed *Vice-Comitis manus pertinere causaretur; diceretque id sibi per conscientiam, tot juramentorum nexibus obstrictam non licere*. In huius locum surrogant è vestigio, è Regijs judicibus, bardum hominem: abrogato (nè huius scrupùli conscientia alios in posterum à capessendis jussis deterreret) juramento, quod quicumque publicis muniis initiantur, Regiæ Majestatis per leges præstare tenentur. *Commune Civitatis Concilium* (ex opulentioribus grauioribusque Ciuibus constare solitum) ut & Senatores complures sedibus exturbant, prætextu à subscripta superiori anno Petitione (*qua Personale cum*

Prætorem Londinensem à fastigio detrudunt.

Senatum quoque Civitatis immutant.

Rege

Rege colloquium petebatur) derivato; suffectis horum in loco abjectis & vilissimi furfuris homuncionibus, multis ætate admodum juvenili, plerisque autem Fortunâ decrepitâ; Alios quòd *novo Prætori operā navare, & Decretū de Monarchiâ abolendâ promulganti astare renuissent*. *Procuratorem, scribam, aliòsque Civitatis* Administros ejiciunt ex officiis, novis & Factioni suæ addictis hominibus superinductis. Legem priscam adversùs Sectas, & Schismata latam, rescindunt. Concionatores & Ecclesiæ Ministros reditibus promissis (Decanorum scilicet fundis) defraudant, Decimarum etiam onus se tenellis conscientiis exempturos profitentur, nonnullis millibus annuatim è Regio censu in illorum subsidium attributis, vnde ex arbitrio Oligarchicorum penderent, & in Monarchiam

scĕ suæ hominibus introductis.

Legem contra Schismata latam rescindūt

Concionatores fraudant promissis reditibus

con-

conſpirare, conductis pro more operis ex officio tandem protraherentur. Imo de Templorum Ianuis ad tempus recludendis, & Presbyterorum licentiâ coercenda deliberant; ſed mitioribus conſiliis vincentibus, uno vel altero ſpualor e Carceris (quod aliis malnm ipſi priùs nimiâ ſedulitate procurahent) jam viciſſim experiuntur) macerato, & Capitis ſententiâ perterrefacto, *jubentur reliqui, ſub pœna Sequeſtri, ab invectivis abſtinere, in Diebus feſtis, & Ieiunÿ celebrandis, vt & aliÿs quibuſcunque Oligarchicorum placitis circa Res Eccleſiaſticas, incumbere.*

Hiſce & ſæviora minitantur.

Dehinc, nullâ habitâ *Honeſti* aut *Iniqui* ratione, nulli Sexni, nulli Hominum Ordini parcitur; *Comitiſſam Carliolenſem*, indigniùs quàm pro Sexu & ſplendore Nominis habitam, quippe quæ ex benevolâ nimiùm,

Comitiſſam Carliolenſẽ in carcerat.

Principes qui Regi militarāt viros Regiam iiidem ad seuilem damnant.

ùm, nimium tandem adversam se gesserat, in Turrem conjiciunt. *Hamiltonij* Ducem, *Hollandiæ* Comitem (qui ut proprię consulerent incolumitati primi Procerum & præcipui, Novatorum infestis conatibus contra Regem præbuerat opem, & consilium, at serò resipueruut) & inter Regios, virum planè Heroicum, Baronem *Capel*, Primarium Patriæ juxta ac Regis vindicem, ejusdem Præsidis *Bradshavvi* operà (qui Regio sanguine purpuratus, cruori aliorum parcere nescit) consimilis fori Iudicio damnant ad securim. Quos visum fuerit, bonis exuunt, & latifundiis; exilio damnant, hæcque omnia nullo Legis obtentu. Imò de Lege rogandà agitatum est, quà *Militibus licere, quemcumque crederent Reipublicę vel Exercitui Inimicum, eundem sistere pro Militari* Con-

Concilio, & Capite plectere.

Cōcilium quadraginta hominum constituunt (quos blando apud Vulgus Elogio, *Pacis & Libertatis Custodes,* & *Cōseruatores* appellant) penès quos omnes, vel eorum ad minimum saltem novem, Administratio Reipublicæ constaret; quorum in Catalogum tres vel quatuor ex abjectissimis, & suæ factioni emancipatis proceribus asscribunt quibus præficiunt, cum titulo D.ni Præsidentis eundem istū *Bradshavum,* duabus librarum millibus ipsi in Regicidii Mercedem annuatim attributis

Reipublicæ nomen Populo permittunt; Potestatem ad paucos (40 nempe vi.os) contrahunt.

Cæterum *omnibus imperatur Subscriptio, quà quæcumq; contra Regē Regnumque Oligarchici consciverāt, cōprobare tenerētur;* cui tamen cùm non pauci refragarētur, admittūtur nihilominus eà lege, ut *de futuro, quovis Vitæ Fortunarumque periculo, Novitiū hunc Statum & Parlamētū, quo*

jam in loco esset; pro virili tuerentur. Postea neminem exclusorum Senatorum, vel dilapsorum, in Senaculum admitti placuit, nisi subscripto nomine facinora novissima cõprobârit. Omnibus tamẽ imperant, ut ad præscriptum diem cõpareant, ni illis in ipsorum loca cooptatis in perpetuũ eliminari mallent. Vnde nonnulli metu sequestri, & nescio cujus damni, quod sibi imminere meticulosi vaticinabantur; alij spe lucri quod è rebus novis captare possent, fœdo prævaricationis monumento se Novatoribus Oligarchicis adjungunt, & in consortium periculi, & laboris, non autem Imperij admittuntur.

Sẽatores, exclusos, nisi post Subscriptionem ad ratihabenda facinora non admittunt.

Moliuntur ista *Reipublicæ* quamprimum erigendæ prætextu; sed revera sibi-ipsis Imperii muniendi animo. Cui dum alii ferè omnes fracti succumbunt, *Democratici* soli reluctantur.

Reipublicæ prætextu Oligarchiam sibi ipsis struunt. Democratici cõtrà invehuntur.

ctantur. Hi postulant, ut toties repetita & toties promissa *Repræsentativa* æqualibus Populi suffragiis eligenda instituatur, ablegatis Parlamenti jàm proculcati reliquiis. Invehuntur Scriptis & Colloquiis in arbitrariam Oligarchicorũ Dominationem; Supremam Iustitiæ Curiam, Concilium Status, siue Custodes Libertatis, utpote *gravioris Tyrannidis mitiora solùm nomina*; imò *Regicidium seu injustum, & nullis Legibus, vel justa Autoritate suffultum*. *Vociferãtur Populũ mutasse Iugum non excussisse; malle se pessimi Regis sub Imperio decẽnium vivere, quàm sub horũ Dominio vel annum agere*: *Regis* Caroli *lũbos longè leviores fuisse, quàm minimũ istorum digitum*; (ecce Veritatis vim, quæ tales etiam ab inuitis voces exprimit?) tandem ad Arma cõuolant, & Militibus gregarijs. E- Arma arripiunt.
 qui-

quitibus pręsertim (qui pridem illis maximam partem consenserant) excitatis & hinc inde vocatis, Exercitùs in speciem sese adunare incipiunt.

Oligarchici occurrunt.

Oligarchici verò non segnes occasionum inceptis occurrunt, facileque imparatos (spe nempe Colloquij facta; & *pactorum inter Honestos scilicet eademque meditantes viros, sed sequiùs de se invicem opinantes ineundorum prætextu*) proterunt, armis Captiuos exuunt, & Principibus turbarum Autoribus glandium imbre transfixis aliisque mitiùs punitis cæteros terrent omnes, nè in posterum mordaci ueritate, uel armis audeant lacessere rerum potitos.

Edicto prohibēt, nè quis ob loquatur.

Solennitates indicunt.

Iam securi Dominationis Nouatores, Edicto cavent, *nè quis Tyrannidis insimulare, verbo vel scripto obmutire, vel quidvis moliri contrà audeat pœna Perduellionis*, Solennes ferias indi-

cunt,

cunt, quibus Deo ob res cōtra Democraticos feliciter gestas Publicæ Gratiæ agantur, ut hoc pacto Deo illudentes, faciliùs obesæ naris Plebi, de malis suis gaudia imponant, Eodemque die à Prætore, Vrbis & Senatoribus lauto Conuiuiō (non sine conviciis & Imprecationibus ferè omnium spectantium) excipiuntur, ubi inter miserias lacrymasque complurium fame (quæ tum temporis grassabatur) pereuntium opiparè tubuccinantur; *Fairfaxius* autem & *Cromvellius* splendida Munera aurea atque argentea referunt, Et nè miselli Cives operam omnem & Oleū in faginandis his corvis perdidisse videantur; *Theriotrophium* Regium, *Novum* vulgò dictum, iis largiuntur: remunerandæ quidem nuperæ Magnificentię obtentu, sed reuera, ut infruniti homines offæ hu-

& Ad Conuiuia inuitantur à Prætore Ciuitatis & Senatoribus.

Quos compensant Viuario Regio attributo.

jus dulcedine deliniti, in partes suas pertrahantur, nouòque bene-vellent Imperio. Abhinc nihil illis Sacrum Sanctùmve; Regis Supellectilem, Fundos, Palatia, & Ecclesiæ reditus (qui scilicet ad Decanos Præbendasque spectabant) adhuc intactos, & utriusque Senaculi suffragiis in usus Cleri Novitii siue Ministrorum Presbyterianorum distribuendos, aut mutuò inter se diuidunt, aut aliis levi pretio venundant; ut his artibus, & Auaritiæ propriæ consulerent, & alii complures eodem inuoluti reatu factioni suæ firmiùs adhærerent.

Regia Supellectilia, Palatia, fundos, &c. vendunt.

Nec spolijs satiati.

Nec satiati reditibus Regiis, Regineis, Ecclesiasticis, Latifundiis Dynastarũ & Generosorum (eorùm scilicet, qui seorsum ab iis sentientes potiorem longè Regni partem constituebant) quę *sequestri* nomine

dudum

dudum inuaserant; peculio bonisque omnium prædictorum, quæ diripuerant; infinitis pænè gazis quas pro reditibus redimendis & gratia redintegranda quotidie solvunt, qui Regi nuper addicti erant; incredibili pecuniarum vi, quam indies portoriorum, vectigalium, Excisæ (nomen olim *Angliæ* haud ferendum) titulo corradunt; (vt nihil dicam de subterraneis opum riuulis, *Dona* volo & *Largitiones*, quas propitiādis hisce lucrionibus officiorum Candidati, Actores, Rei, &c. marsupijs (immittūt) *Impositionem* grauissimam, nonaginta scilicet Librarum millia, in stipendia militis otiosi singulis mensibus exigendo toties detonsum populum deglubere non erubescunt.

Populum grau. ssimis Taxationibus onerant.

Imò nec jam unius Regni spoliis & Imperio contenti, *Hibernos* Regi obtemperaturos, (quos *Rebelles* dum essent, ho-

Hiberniam Regi obtemperaturam inuadunt

rum

rum plurimi laudarunt, pauci certè hoſtiliter aggreſſi ſunt) armis invadunt, certam de iis victoriam pollicentes. Et Hibernia *devicta* Scotiam, & Galliam (utpote factionibus laborantem utrãque) *Se facilè redacturos in ordinem, jugumque, quo Reges terrarũ Plebem opprimũt, excuſſuros* palàm gloriari horũ plurimi non verentur. Nec ſanè cuiquam cõſtare poteſt ubi terminatura ſit hujus *Flagelli* ſævitia, vbi ſe fluctus iſte franget, niſi *Divinæ Majeſtati, quæ mari foſſam excavavit, & ei oppoſuit vectem & valvas, dicitque, Huc uſque venies, & nè procedito, & hìc opponet litus ſe ſuperbiæ fluctuum tuorum.*

FINIS.